H. Scheifler

Diss. Breslau 1908

Quaestiones Commodianeae

Dissertatio inauguralis philologica
quam amplissimi philosophorum ordinis
consensu et auctoritate
ad summos in philosophia honores
in universitate litterarum Vratislaviensi
rite capessendos scripsit

Herbertus Scheifler
Silesius

Die XIV mensis Decembris anni MCMVIII hora $11^1/_2$
doctorandus in Aula Musica orationem habebit qua tractabit
„Commodianea et Romanica"
deinde erit promotio

Vratislaviae
Typis A. Favorke
MCMVIII

De dissertatione probanda ad ordinem rettulerunt
Franciscus Skutsch
Carolus Appel.

Examen rigorosum habitum est die XXII mensis Iulii anni MCMVIII.

Francisco Skutsch
Carolo Appel
S

Praefatio.

Studia Commodianea recentissima sunt. Proximo saeculo Roenschius, Ludovicus, Dombartus viri illustrissimi in emendanda textus ratione antecesserunt; atque hisce annis denuo in Commodianum poetam christianum animos convertimus, postquam Brewerus in celeberrimo illo libro, qui inscribitur „*Kommodian von Gaza — Ein Arelatensischer Laiendichter aus der Mitte des fünften Jahrhunderts*“ [1]) poetae nostri aetatem duobus saeculis minuit. Quod cum verum esse putemus, non iam primus qui adhuc dicebatur est poeta christianus, qua re fit, ut nova spe accedamus ad eius personam, ad ea, quae de Christi dogmate cogitaverit, nova spe ad ea, quae de temporibus suis dixerit, nova ad eius genus dicendi ac linguam. Rudem se esse hominem [2]), qui ex cloaca levatus et nobiles et pauperes [3]) hortaturus sit, ipse dicit nobis. Mavult cum Augustino reprehendi se a grammaticis quam non intellegi a populis. Populi igitur linguam in carminibus eius ante oculos habemus, quae lingua secundum certas leges commutata adhuc vivit apud nationes romanenses. Igitur si revera poeta est saeculi quinti, testis est locupletissimus sermonis cottidiani, qui illo tempore vigebat. Quid quod ita permultae illae dubitationes tolluntur, quibus hucusque viros doctos obstringi vidimus, ubi de genere dicendi Commodianeo verba faciebant. Qua re hoc factum esse dicemus? — quod tam multa, dum saeculo

[1]) Paderborn 1906; in: Forschungen zur christlichen Literatur und Dogmengeschichte VI, 1. 2 (conferas velim P. Lejay in: Revue critique 1907 No. 37).

[2]) Instr. II 20, 1 sq.; cf. I 31, 6.

[3]) cf. II 29, 1 sqq.

tertio eum vindicamus, in carminibus eius restant aenigmata. Brewerus primus dubitationes illas confirmans ex carminum argumentis saeculum quintum substituendum esse demonstravit. Sed cum ille linguam et artem metricam non nisi obiter perstrinxerit, nostrum erit accurate demonstrare, utramque saeculi quinti esse. In qua re secutus sum editionem et recentissimam et optimam, quam curavit Bernh. Dombart in CSEL.[1]) vol. XV.

Ad ea autem, quae scripsi, componenda maximo praeterea mihi commodo erant:

J. Anglade: De latinitate libelli qui inscriptus est Peregrinatio ad loca sancta[2]). Paris 1905.

E. Appel: Beiträge zur Erklärung des Corippus mit besonderer Berücksichtigung des vulgären Elementes seiner Sprache. München 1904.

d'Arbois de Jubainville: La déclinaison latine en Gaule. Paris 1872.

Ch. H. Beeson: Hegemonius Acta Archelai. L. 1906.

L. Bellanger: In Antonini Placentini itinerarium grammatica disquisitio. Paris 1902.

G. Boissier: Commodien[3]). Paris 1886.

M. Bonnet: Le latin de Grégoire de Tours. Paris 1890.

H. Brewer (v. s.).

B. Dombart: Commodian-Studien, in: Sitzungsberichte (= S.) der philos.-hist. Classe der Kaiserl. Akademie der Wissenschaften, Bd. 107 pp. 713—802. Wien 1884.

Ch. E. Freppel: Commodien, Arnobe, Lactance et autres fragments inédits. Paris 1893.

Georges⁷ = Georges, Handwörterbuch der lateinischen Sprache, 7. Auflage (1879—1880).

O. Haag: Die Latinität Fredegars. Erlangen 1898.

C. Halm: Victor Vitensis (in: Mon. Germ. hist. 3).

Fr. Hanssen: De arte metrica Commodiani. Diss. Argent. 1881.

---

[1]) C. S. E. L. = Corp. Script. Eccles. Lat.

[2]) Ceterum semel moneo auctorem huius libelli me brevitatis causa „Silviam“ vocasse, etsi ab hac scriptum non esse iam constat.

[3]) in: Mélanges Renier, 1887 (Bibl. des Hautes études, fasc. 73) pp. 51 sqq.

Guil. Hartel: Magni Felicis Ennodii opera omnia (in: CSEL. vol. VI).

G. Körting: Lateinisch-romanisches Wörterb. Paderborn 1901.

C. Lang: Flavi Vegeti Renati epitome rei militaris. L. 1885.

Fr. Leo: Venantius Fortunatus (in: Mon. Germ. hist. IV, 1).

E. Löfstedt: Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität. Stockholm 1907.

E. Löfstedt: Spätlateinische Studien. Upsala-L. 1908.

E. Lommatzsch: P. Vegeti Renati digestorum artis mulomedicinae libri. L. 1903.

M. Manitius: Geschichte der christl.-lat. Literatur. 1891.

G. Mayen: De particulis quod quia quoniam quomodo ut pro acc. c. inf. post verba sentiendi et declarandi positis. Kiel 1889.

W. Meyer: Gesammelte Abhandlungen zur mittellateinischen Rythmik. Berlin 1905.
(Bd. II: Die Anfänge der lat. Rythmik pp. 1—43).

W. Meyer-Lübke: Die lat. Sprache in den romanischen Ländern (in: G. Gröbers „Grundriß der romanischen Philologie“ I², Straßburg 1904—1906, pp. 451—497).

W. Meyer-Lübke: Grammatik der romanischen Sprachen. L. 1890—1902.

Fr. Neue: Formenlehre der lat. Sprache I—III. 1877—1892.

E. Oder: Hermeri Mulomedicina Chironis. L. 1901.

A. Oxé: Prolegomena de Carmine adversus Marcionitas. L. 1888.

J. Partsch: Corippus (in: Mon. Germ. hist. 3).

M. Petschenig: Corippus (in: Berliner Studien f. klass. Phil. IV,2).

J. Pirson: La langue des inscriptions latines de la Gaule. Bruxelles 1901.

A. Puech: Prudence; étude sur la poésie lat. chrétienne au IVe siècle. Paris 1888.

H. Rönsch: Das Carmen apologeticum des Commodian (in: Zeitschrift f. d. hist. Theologie 1872, 2).

H. Rönsch: Itala und Vulgata (= I.V.). Marburg 1875.

V. Rose: Sorani Gynaeciorum vetus translatio latina. L. 1882.

V. Rose: Anthimi epistula. L. 1877.

H. Schneider: Die Casus, Tempora und Modi bei Commodian. Diss. Erlangen 1889.

E. Seelmann: Die Aussprache des Latein. Heilbronn 1885.

Fr. Skutsch: Forschungen zur lat. Grammatik und Metrik. Bd. I. L. 1892.

L. Stünkel: Das Verhältnis der Sprache der Lex Romana Utinensis (oder Curiensis) zur schulgerechten Latinität. L. 1876.

Th. L. L. = Thesaurus Linguae Latinae. L. 1900 sqq. voll. I—III.

L. Vernier: La versification latine populaire en Afrique. Commodien et Verecundus (in: Revue de philol. XV. 1891).

L. Vernier: Notes sur Commodien (in: Revue de philol. XV, 2 pp. 117—130).

Fr. Vollmer: Merobaudes, Dracontius, Eugenius Toletanus (in: Mon. Germ. hist. XIV).

E. Wölfflin: Archiv für lat. Lexikographie und Grammatik (= A.L.L.Gr.) voll. I—XV.

E. Wölfflin: Lateinische und romanische Comparation. Erlangen 1879.

Alii libri in contextu afferentur.

Pars I.

De arte metrica Commodiani.

§ 1.

Quamquam Hanssen in dissertatione ‚De arte metrica Commodiani' de auctoris nostri versibus iam satis copiose disseruit aliique viri doctissimi [1]) de eisdem rebus egerunt, tamen non nulla esse aut corrigenda aut addenda putamus. Siquis parum diligenter de his versibus iudicium proferre ausus erit, cum Gennadio [2]) fortasse dicet: ‚scripsit (Commodianus) mediocri sermone quasi versu'. Neque enim in interiore versuum parte profecto aut quantitatis aut accentus grammatici rationem habere videtur Commodianus. Verum altius in has res descendere decet, quas nisi ex se ipsis explicari posse negamus. Quam ob rem non aliorum dicta discerpemus, sed nostras opiniones proferemus. Quod ut fiat, ab eis quae maxime perspicua sunt ad obscura pergendum est.

Caput I.

De pede quinto et sexto. Prosodiaca.

§ 2.

In pede quinto et sexto sine ulla exceptione ictus metricus et grammaticus concinunt. Qua in re Commodianum Vergilium et Ovidium, quos legit [3]), secutum esse apparet, cum illis iam

---

[1]) imprimis Guil. Meyer (pp. 1 sqq.), Vernier (La versification . . pp. 14 sqq.), Puech (pp. X sqq.), Manitius (pp. 28 sqq.), Schanz (Iw. Müller VIII (1905) pp. 433 sq.), Teuffel-Schwabe (5. § 384,4).

[2]) cf. v. Gebhardt und Harnack, Texte und Untersuchungen XIV p. 67.

[3]) cf. CA (= Carmen Apologeticum) 583; cf. ed. Domb. pp. IV sqq.

temporibus ambo ictus concidere solerent[1]). Sed quantitatis rationem habet nullam, e. g:

I 1, 1 *[2]) *errántī dēmónstrat*
I 1, 5 * *ínscĭīs ípsis*
I 1, 6 * *legéndō dē lége*
II 1, 18 * *secútāē fŭére*
II 1, 31 * *prodúcīt cŭm íllis*
II 1, 32 * *régĕ cāēléste*
CA 10 * *tándĕm ādlúxit*
CA 14 * *errórĕ rēcédant*
I 1, 7 *pro* * *cĭvĭcā túrba*
I 2, 2 * *dĕos inánes* (cf. 3, 15. 11, 11. 13, 1. passim)
I 7, 20 . . | *et dĕos et* * *dĕas orátis*
I 23, 7 * *cŭpis implére*
I 24, 19. (20) * *lŏco malígno (benígno)*
I 25, 4 * *fŏras obérras*
I 35, 3 * *măli quod égit*
I 41, 19 *ex* * *ĕo Iudáei*
II 1, 22 * *sŭos eléctos*
II 25, 5 * *ŏculis nóstris*
CA 27 * *dătas a Súmmo*
I 25, 8 * *vindémia vĕnit*
I 26, 33 * *déxtera tĕnet*
II 21, 3 * *vĭam in ĭter.*

Hinc Commodianum syllabis productis et correptis sine discrimine in arsi et in thesi uti apparet. Atque permultas syllabas antiquissimis temporibus longas Commodiani aetate non iam productas fuisse erit dicendum, e. g. o et a vocales in abl. sing. I. et II. decl.; ae = ĕ (cf. caelum > ciel : pĕdem > pied); alia.

§ 3.

Nonnulli — i. e. circiter 20 = 0,87 % — in Commodiani carminibus versus spondiaci leguntur:

I 8, 3 * *spónte cúrrunt*

---

[1]) cf. Corssen: Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der latein. Sprache II 948 sqq.

[2]) * pono ante pedem quintum sive ante id vocabulum, intra quod pes quintus initium capit.

quo in versu quamquam omnes codices (O = CBA[1]) ‚currunt' praebent, tamen Hansseni et Vernieri facillimam coniecturam ‚sponte <de>currunt' praeferam; nam saepenumero Commodianus verbis compositis[2]) utitur, bis ‚decurrere' voce: I 21, 6 **fáni decúrris* (!), I 24, 11 *decúrris sáepe bifárius;* adde quod in exemplo nostro syllabam ‚de' post ‚sponte' scriba facile supprimere potuit. Malim igitur legere: *spónte decúrrunt.*

I 17, 9 **cruóre sánent*

falso Vernier: *sed crúore sánent,* cum CA 916 **ingénti cruóre* legatur.

I 17, 11 **intégra ménte* (= intégera m.>entièrement frcg.; cf. § 8).

I, 35, 15 **licet illi* (?).

(I 35, 19 *<dé>vitáte* cf. § 10).

(I 37, 10 *deos* *ádoráre* cf. § 12).

II 6, 8 **prísce séctans.*

Vernier: *prísce perséctans;* sed nullo loco *persectari,* bis (II 6, 8. CA 762) *sectari* legimus.

II 17, 19 **ad martyris i!*

quoniam *esse* copulae imperativus apud Commodianum non nisi sub forma imperativi fut. occurrit *(esto),* dubito an etiam in verbo *ire,* ut iam Vernier coniecit, haec forma praeferenda sit: *ad * mártyris íto.*

II 19, 7 . . | *procédere Déi* (O) *sáncta*[3]).

II 22, 2 *in * fíne nóbis* (?).

II 24, 14 . . | *mercis su<m>is * té piáre* (??).

II 31, 10 **invenisse*

quin etiam Vernier, qui in universum ad evitandos spondiacos ictum grammaticum in pede quinto nescio quo pacto neglegit, hoc loco spondiacum admittit!

CA 37 **praebére láudes;* cf. II 20, 14 **aliménta praebére;* Commodianum in pede quinto et sexto, ubi semper ictus grammatici rationem habet, et *praebére* acuisse et *práebere* verisimile non est; immo CA 37 in *hominem* syncopam fieri malim, cum ea saepissime apud Commodianum occurrat[4]): . . | *hòm'ne(m) sibi praebére láudes.*

---

[1]) cf. ed. Domb. pp. VII—XII; p. 2. [2]) cf. P. (= Pars) II. § 36.

[3]) cf. adnot. Domb. p. 85. [4]) cf. §§ 13. 34.

CA 52 *qui de * íllo clámant.*

Sunt fortasse, qui cum cogitent de compositione it. *dello* (frcg. *du)* legant hoc loco ‚*dé illo*‘; sed falsam hanc esse lectionem ex clausula versus I 41, 3 intellegimus: . . | *prophéta de * íllo praedíxit.*

CA 66 * *sé sub ántra* (cf. CA 567).

CA 145 * *istíus áevi.*

Eodem modo legendum est in CA 891 . . | *in istíus cláde Neró-nis.* vv. I 26,25 *Et vitam istiús saeculi . .;* II 21, 7 *Ipsìus ést tempús* . . idem demonstrant, ut infra[1]) erit dicendum; acuemus etiam in CA 205 . . | *in illíus sáncta morémur.* Hunc ictum rectum esse CA 935 * *térrae totíus* demonstrat.

CA 193 *in * mónte Sína.*

CA 291 *de * radíce Iésse* (cf. § 36); Vernier falso *rádice.*

CA 423 * *prophétam Ámos* (cf. § 23); falso Vernier: *per próphetam Ámos.*

CA 567 * *sé precándo* (cf. CA 66).

CA 607 * *augére quáerunt*; an *áugere* (cf. § 6!)?

CA 890 * *macerábat ómnes.*

De pronuntiatione, quam e pede quinto et sexto optume enucleare possumus, plura mihi dicenda sunt.

§ 4.

Primum quidem nonnullas coniugationis formas aliter atque optimis linguae temporibus acui videmus. 1. et 2. pers. plur. fut. I. *esse* copulae et fut. II. ictum in praenultima habent:

I 6, 3 * *sémper erítis*

I 35, 6 * *inmortáles erímus*

I 38, 2 * *exherédes erítis*

II 26, 8 * *fe<ce>rítis edícta*

II 32, 11 * *géntes erítis*

II 39, 5 * *fecerítis ab íllo*

Haec exempla sequuntur:

I 35, 20 . . | *et erítis Déo sodáles*

I 38, 7 . . | *non erítis régno caelésti*

II 36, 7 . . | *et erítis ámbo refécti.*

[1]) § 36.

Quid haec de tempore nos docent? Brewerus[1]) reicit nos ad Paulini Nol. (353—431) Poema XVII 287: erīmus; Prudentii (348— c. 410) Praef. ad Psychom. 58: noverīmus; Iuvenci IV (675 falso pro) 682: poterīmus; addo Iuvenci I 664 dederītis et ‚Carminis adv. Marcionitas' [2]) poterīmus, poterītis II 69, III 220. Eiusmodi formae apud Commodianum circiter decem occurrunt sine exceptionibus. Quae cum ante Iuvenci tempora non videantur occurrere, qui c. 330 vixit, is esse terminus post quem, ut ita dicam, videtur. Nam quod in Ciceronis clausulis nonnunquam haec acuendi ratio occurrit, pertinet id ad coni. perf. et ad fut. ex.[3])

§ 5.

„*Fugere*" apud Commodianum plerumque sub forma „*fugire*" (> it: *fuggire*; frcg: *fuir*) occurrit:

I 33, 7 * *refugíte sub ántro*

II 18, 21 * *fugíte decórem.*

Meyer-Lübke[4]) dicit: „Die wenigen alten i-Verba III, die das Schriftlatein noch bewahrte, gehen fast alle bald früher bald später zu IV über: *moriri* Plautus, *cupire* Lucrez, *fodire* Cato Columella Bibelhss. *fugire* Augustin" [5]). Cum cogitamus de versu II 10, 2 *Ét prius quám fugerént* | . ., nutasse etiam Commodianum dicendum erit[6]).

§ 6.

Dombartus in indice — cumque eo Brewerus[7]) — coniugationis putat factam esse commutationem in CA 37 * *práebere láudes*, sed in II 20, 14 ipse recte acuere videtur *praebére*, in CA 111 legit: *Práebet* (= praesens!) *se visibilém.* Eodem modo

---

[1]) p. 351.

[2]) cf. Oxé p. 46; hoc ‚Carmen adv. Marcionitas', simillimum quod ad linguam attinet Instructionibus Commodiani et Carmini Apologetico, conscriptum est ca. a. 400 (vid. Oxé p. 33).

[3]) cf. Zielinski, Philologus Suppl. Bd. IX p. 772.

[4]) Gröber „Grundriß" I² p. 477.

[5]) cf. Georges⁷ s. v.; Roensch I. V. p. 285; Neue III 244 sq.; Bonnet 427; addam *fugiret* Sorani II 4, *confugivit* Victoris Vitensis III 29.

[6]) De aliis coniugationum mutationibus cf. P. II cap. V.

[7]) cf. p. 351.

acuisse Commodianum dicit in CA 480 * *lúgĕre pláudent*, in CA 607 *áugĕre*[1]) *quáerunt* contendit. Verum *áugĕre* acuisse Commodianum nullo loco demonstratur. At *lúgĕre* probo; legimus enim in CA 949 *Nec mortuos plangunt nec lugunt* . ., legendum est praeterea II 32, 10 *Lúgĕre nólité* | . ., II 27, 3 cum cod. C: *Nólité lugĕré* | . . . Iam inde a Firmico Mat. *lúgĕre* vox exstitit, interiit tantum in vet. lingua italiana[2]). Quibus de causis acuam:

praebére[3]) — *áugĕre?*[4]) *augére?* (incertum) — *lúgĕre.*

§ 7.

Aliud quoque verbum coniugationem commutasse videtur: *cádĕre* > *cadére*; legimus enim:

CA 254 *Quando et quo duce* | *cadéret (? ?) de suo privato.*

CA 996 *Devitatque pios et cadet super impios ignis.*

Formae romanicae omnes a ‚cadére' ducuntur, conferas velim val: *cădeà*, *cadére*; it: *cadére;* prov: *cazer;* frcg. vet: *chedeir* > *cheoir* > *choir*; hisp: *caer*. — *cadére* occurrit inde ab exeunte saeculo quarto[5]), conferre oportet Didasc. Apost. 78, 5 *cadeat et pereat*, cuius editor ante V. saeculi initium, fortasse Ambrosii aetate, hanc interpretationem esse ortam veri simillimum putat[6]). Eodem fere tempore Chiron 332 *cadebit* scribit.

§ 8.

Brevis paenultima sequente muta cum liquida acuitur[7]):

I 30, 8 * *mediócres a vóbis*

I 34, 10 * *poenáli baráthro*

II 9, 10 . . | *tu súb latébra* < *te* > *cónde*

II 30, 17 * *dári quadrúplum*

CA 883 * *átque latébras*

CA 1014 *úlla latébra.*

---

[1]) cf. Th.L.L. II p. 1344 s. v.

[2]) cf. Neue III 269; Körting p. 547.

[3]) cf. § 3.

[4]) cf. Rönsch ad CA 602 adnot.

[5]) cf. Th.L.L. III s. v.

[6]) E. Hauler: Didascaliae Apost. fragmenta Veronensia latina Lps. 1900 pp. VII sq.

[7]) cf. Seelmann p. 52; Neumann, Zeitschrift f. rom. Philol. XX 519 sqq.

Legemus igitur:

I 17 11 * *intégra ménte (= entièrement)* [1]; cf. frcg: *entier*; it: *intero.*

II 18, 9 fortasse: . . | *penétrat qui singula córda.*

De qua re Brewerus [2]) ita: „Zu latēbra Instr. II 9, 10 s. Paulinus Nol. Poema XVIII 296, Prudentius Cathem. IX 77 und Hamart. 395: latēbra. — Ähnlich bedienen sich Sedulius (Carm. Pasch. III 313. IV 244), Marius Claud. Victor (Genesis I, 1), Dracontius (Hexaem. I 1, 14) der Form tenēbrae, während Kommodian (Carm. 421) mit Paulinus Nolanus (Poema XVIII 371) tenĕbrae mißt". Talibus in vocabulis quoniam in linguis romanicis invenimus dipthongum ie ex ĕ vel ae (= ĕ) ortam (hisp: *teniebra*, *tinieblas;* frcg. vet: *teniebles* [3]), *e* quamquam ictum habebat fuisse longam in dubium revoco [4]).

Exempla a Brewero allata docent inde ab exeunte saeculo quarto plurimos scriptores eo modo acuisse; Iuvencum nondum ubique id fecisse exempla docent haec:

I 128 * *mortísque tenébras*

II 15 * *excísa latébras*

II 688 * *véstra celébrat*

contra: IV 67. 286 *bărăthrum*

IV 371 *vŏlŭcrīs.*

§ 9.

Vnum inveni certissimum exemplum, in quo antepaenultima et paenultima syllaba hiatum praebentibus paenultima acuitur [5]):

II 26, 6 * *filióli magístro;* cf. frcg: *filleul;* it: *figluolo;* hisp: *hijuelo*; prov: *filhól.*

Addere hoc loco licebit

I 7, 16 *Tám ariétem taurúm* | . .; cf. ast: *arei;* wald: *aré*; itemque apud Dracontium legimus *ariétis* 2, 457; *ariétem* 3, 116.

---

[1]) cf. P. II. § 39. [2]) p. 351.

[3]) cf. Gröber in ALLGr. VI 123.

[4]) cf. Horning, Zeitschr. f. rom. Philol. VII 572 sq.

[5]) cf. Seelmann pp. 50 sq; Meyer-Lübke in Gröber „Grundriß" I² 468,17.

Denuo o litteram (in voce *filioli*) longam fuisse — id quod vult Brewerus p. 351 — nego, quod linguae romanicae huic quantitati obstant:

Pozzuoli postulat *Puteǫ́li*,
filleul, *figluolo*, *hijuelo*: *filiǫ́lu*;

potuit esse nihilominus aperta illa vocalis aliquantulum producta[1]).

Hac acuendi ratione Commodianum non saeculo tertio sed multo post vixisse demonstratur. Haec enim exempla attulit Brewerus: Sidon. Apollin. (c. 430—480) Carm. XV 147 acuit araneŏ́la, itemque Paulinus Nol. Poema XV 1, 117; Dracontius Hexaem. II 137 muliére[2]).

§ 10.

Vocum graecarum pars accentum servat:

I 2, 7 * *ídola vána*
I 6, 17 * *Seméles amátor*
I 37, 8 *ad* * *ídola vádis*
CA 683 * *dáemonis ínquit.*
CA 697 * *dáemonum ésse*

Itaque lego:

I 22, 10 . . | *dàemonés in múndo vag<ár>i*
II 13, 9 . . | *ab ídolis réspui débent.*

I 35, 19 . . | *daemonum fana vitate* exceptio est, quae vix explicari potest. Dombartus *fana* falsum esse putat; sed etiamsi *fata* (O) recipimus, nihilo melius res se habet. *vitate* forsan falso scriptum esse non negem, cuius vocis loco scribam *devitate*, qua bis Commodianus utitur: II 16, 14 * *Déi devitas*; II 16,25 * *praecépta devitas;* quo quidem facto spondiacorum versuum[3]) augemus numerum: *dàemonúm fana dévitáte.*

§ 11.

Ictus latinus discrepat a graeco:

I 34, 10 * *poenáli baráthro*[4])

---

[1]) de his rebus conferas velim Horning l. c.

[2]) cf. Teuffel-Schwabe[5] § 475, 6: „Volksmäßig ist wohl mulieris 8, 508. 10, 5. satisf. 161. de deo 2, 660"; cf. Vollmer ind. p. 376 s. v.

[3]) cf. § 3. [4]) cf. § 8.

II 36, 3 * *stúlte Cyclópas*; cf. I 6, 23. | *Cyclópas illi fecisse*
CA 409 *mélle butýro*[1]);

in sermone plebeio qui dicitur duas semper formas viguisse putabimus: *bútyrum* et *butýrum*, quod exstant adhuc formae

it: *burro* } <*bútyrum*,
frcg: *beurre* }
it: *butirro* <*butýrum*.

§ 12.
De aphaeresi[2]).

Omnia fere, quae hactenus perstrinximus, ad dicendi genus cognoscendum magni momenti sunt; haud secus aphaeresis quae dicitur. Exempla sunt haec:

I 17, 17 * *núlla locúta' st*
II 23, 9 * *vána cupído 'st*
CA 102 * *cónscia sóla 'st*
CA 225 * *prophetía repléta 'st*
CA 262 * *cáusa resécta 'st*
CA 320 * *víctus a Súmmo 'st*
CA 652 * *proflúvio*[3]) *sanáta 'st.*

Quibus in versibus aphaeresis postulatur; etiamne in

II 1, 24 . . | *illa est gens véra caeléstis*
CA 179 . . | *culpa est tua prósequi tálem?*

In omnibus his exemplis post vocalem formam *est* aphaeresin pati observamus. Sed quamquam nullum in versus fine reperitur exemplum, quod post *m* eam postulet, tamen ibi quoque aphaeresin esse factam concludo ex pede quarto versus

I 37, 10 *Dicant illi tibi* | *si iussum est deos adorare.*

In pede quinto et sexto ictus metricus et grammaticus semper concinunt, *deós adoráre* enuntiatio unica huius legis esset exceptio. Quamquam spondiacorum numerus augetur[1]), tamen puto praeferendam esse lectionem:

. . | *sì iussúm 'st deos ádoráre.*

Optimo iure etiam ante incisionem aphaeresin adhibebimus:

---

1) cf. Th. L. L. II 2261-2; Brewer p. 351.
2) cf. Hanssen § 36.
3) cf. § 14.

I 35, 11 *Léx a lígno datá 'st* | . .
II 7, 5 *Léx hominí datá 'st* | . .
CA 83 *Interdúm quod meúm 'st* | . .

Commodianum in primis versuum pedibus aphaeresin adhibuisse quamquam paucis confirmatur, tamen nulla certe re refellitur.

§ 13.

De syncopa[2]).

Permagni in hac arte metrica momenti est syncopa, quae omnibus temporibus in lingua latina vigebat.

1. u litterae syncopa fit:

I 29, 10 * *áureo sáeclo*
I 34, 2 * *satiári colíclis*
I 34, 18 * *sáecla si crédis*
II 22, 10 * *sincéri per sáeclum*
CA 312 * *ín novo sáeclo*
CA 572 * *sáeclo (sęculo* M[3]) P[1]!) *venírent*
CA 644 * *ílle de férclo (ferculo* M!)
CA 672 * *áurea sáecla*
CA 704 * *sáeclo nováto*
CA 760 * *ómnia sáecli*
CA 804 * *sáecla renátus*
CA 1012 * *sáecli ruína.*

Quibus de exemplis Commodianum ‚saeclo', ‚ferclo' pronuntiasse concluditur.

2. i litterae syncopa fit:

II 15, 5 * *Dómni proclámat.*

Totus hic versus insignis est: *In tot profátorúm*[4]) *volumina vox Dómni proclámat.* Postulatur syncopa etiam in voce *volum(i)na;* neque enim Commodianus vocem proparoxytonam in paenultima acuit unquam. In CA 644 codicem M in pede sexto *ferculo*, in CA 572 M P[1] *sęculo venírent* praebere meminerimus. Equidem inde concludo Commodianum in talibus

---

[1]) cf. § 3.
[2]) cf. Hanssen § 35.
[3]) cf. ed. Domb. pp. XVII sq.; p. 114. [4]) cf. § 36.

vocabulis u et i semper scripsisse, pronuntiasse non semper. (ad CA 37 *hominem sibi praebere laudes* cf. § 3).

CA 959 * *éxtra repóstus (repositus* cod. M).

3. Conspicuus est versus CA 849 * *consúrgere in íra.* Hanssen corrigit: *consúrgere íra*; quod rectum esse minime credo. Iisdem verbis utuntur Val. Fl. I 673 *truces consúrgere in íras*; Iuv. I 499. II 27 * *consúrgere in íras*; sed Valerius Flaccus et Iuvencus elisionem adhibent: *consúrger(e) in íras*, nunquam Commodianus, ut infra nobis erit demonstrandum. Quomodo igitur legit hoc loco? e litterae syncopa facta: *consúrgre in íra* (cf. frcg: *sourdre*[1]); eadem syncopa in II 17, 19 *Sí refrig(e)ráre cupís* (cf. § 34).

4. o quoque vocalis syncopam concludo ex versu II 20, 3 *in * agóne coronári*; coronari = cronari vel kəronari (cf. germ. „*Krone*").

§ 14.

De synizesi[2]).

Denique synizesis quae dicitur in Commodiani carminibus notabilis est:

I 24, 11 * *sáepe bifárius* (= bifárjus)
II 35, 11 * *ínitent bálneo* (=balnjo); cf. it: *bagno*; frcg: *bain*
CA 120 * *núlla capébat* (ita M, = capjebat[3]) ?)
CA 429 * *Déuteronómium* (= -nómjum)
CA 652 * *proflúvio* (= proflúvjo; cf. frcg: *déluge*) *sanáta'st*
CA 919 * *córda pótentium* (= potenzjum[4]).

Iam Verg. Aen. VII 237 praebet * *vérba precántia* (=precantja!).

u pro consona adhibetur (= u̯) ut iam pridem ante Commodianum in vocibus: *sangu̯ine*, *langu̯es*, *su̯adet*, *lingu̯a*, *perungu̯i*; huc referre oportet:

---

[1]) cf. Vernieri adnot. I 25,16.

[2]) cf. Hanssen §§ 32—34; Bednara in ALLGr. XIV 335 sq.: vide § 33.

[3]) cf. adnot. Domb. p. 123; vide etiam P. II. § 29.

[4]) Posthac scribetur zj = ç, pro ti, ci: potençum; de pronuntiatione ti (ci) + voc. = zj = ç cf. Brewer pp. 345 sqq.

CA 733 *Mánsuètis*[1]) *húmilibús* | . .
I 17, 6 . . | *Duellonários quáli fragóre*
II 3, 16 *Pér duodecím miliá* | . .
CA 219 . . | *redarguéntes íllos iníque*
CA 437 . . | *voluptuósis ét sine fréno.*

§ 15.
De pede quarto.

Satis multa de pede quinto et sexto dicta esse puto, pauca mihi addenda sunt de pede quarto, quem nonnunquam in exemplis nostris iam adhibuimus; atque optimo iure, nam in iis versibus, qui post arsin tertiam incisionem habent, hae leges valent:

1. aut ictus metricus et grammaticus concinunt (ex 2307 satis bonis versibus Commodiani 1976, i. e. prope 60 % hunc concentum habent),

2. aut altera versus pars a voce trisyllaba incipit vel a bisyllaba, cuius antepaenultima vel paenultima ictu secundario („*Nebenakzent*“) insignis est, e. g:

I 19, 4 . . | *lòquitúr quod ílli vidétur*
II 19, 2 . . | *quàlitér rogáre praecépit,*
vel I 1, 1 . . . | *vìám erránti demónstrat*
I 1, 6 . . . | *ìndé legéndo de lége,*

3. aut incipit a voce monosyllaba ictu secundario insigni, e. g:

I 4, 3 . . | *sèd quiá deus nón erat ílle.*

Quem ictum secundarium semper cum accentu quodam grammatico concinentem in pronuntiando persaepe fortiorem esse et graviorem quam metricum putamus. Qua re exposita pedis quarti easdem esse leges quas quinti et sexti facile intellegimus.

---

[1]) cf. § 36.

Caput II.

De Caesuris.

In caesuris quoque ab antiquis poetis se didicisse Commodianus demonstrat. Quantitatis leges non iam novit, quibus ut supra vidimus aliae successerant; sed in veterum modum versus suos caesura vel caesuris dividit, mirabili quadam arte, cum omnes fere incisiones sententiae quoque ac sensus incisionem significent. Caesura quamquam maximi est momenti ad cognoscendam Commodiani artem metricam, tamen hucusque nemo inventus est, qui in eam satis accurate inquireret. Errabant autem plerique, cum caesuram post tertiam arsin factam significare satis habebant; neque enim — quamquam creberrima — est unica haec caesura a Commodiano adhibita. Falsissima est Puechii opinio, cum dicit[1]: „. . la césure, qui est toujours penthémimère — les rares exceptions étant des fautes de textes que le prochain éditeur devra faire disparaître, — . .“

§ 16.

Hanssen non satis aperte demonstrat, quam saepe hepthemimeres cum penthemimere coniuncta in Commodiani carminibus occurrat; afferam igitur nonnulla exempla:

I 32, 4 *In fragil(i)taté | tantá || non réspicis úmquam.*
I 36, 11 *Léx in lígno fuít | primá, || et inde secúnda.*
II 3, 15 *Ex auctóre suó | lucét, || nec nóx ibi páret.*
II 8, 6 *Tú si vúlnus habés | altúm, || medicúmque requíre.*
II 17, 10 *Vnde périerúnt | illí, || nos cavére debémus.*
II 22, 12 *Dé labóre tuó | doná, || nùdum vésti: sic vínces.*
II 30, 5 *Réfoveátur homó | paupér, || qui nón habet únde.*
II 31, 15 *Sicut síng(u)laris | illá, || quam prótulit Vnctus.*
II 32, 3 *Léx prudénter aít | animó, || non pómpa dolére.*
CA 23 *Sí pinguis ést opibús, | sibi sít; || si Cáesuri dignus.*
CA 52 *Séd mùltos ádhibuít | testés, || qui de[2]) íllo clámant.*
CA 109 *In primitíva suá | quàlis sít, || a núllo vidétur.*
CA 138 *Ád ìlla téndamús | cupidí, || tòta ménte devóti.*

---

[1]) p. 11; cf. Guil. Meyer p. 25.
[2]) cf. § 3.

CA 261 *Géns cervícosá | nimís || sempérque rebéllans.*
CA 279 *Néc enim rélinquít | caelúm, || ut in térra paréret.*
CA 292 *In ìllum spérabúnt | gentés, || cuius sígno tuéntur.*
CA 328 *Quó Deus pépendít | Dominús, || vìtae nóstrae repértor.*
CA 411 *Séd hàec est hístoriá | clausá, || de qua dócti revólvunt.*
CA 430 *In caput éritís, | gentés; || nam incréduli rétro.*
CA 439 *Nón est cúlpa satís | uná, || qui crédere nólunt.*
CA 572 *Édòcuít illís | multá, || quae sáeclo venírent.*
CA 681 *Nón ita práecepít | Dominús || sacra férre malígnis.*
CA 687 *Immo cum récipiúnt | talés, || docére debérent.*
CA 723 *Néc facit héredém | illúm || ex ásse suórum.*
CA 896 *Ét si quis óccùrrerít | illí, || mactábitur énse.*
CA 935 *Vrbis pérditió | Nèro ést* (= *Neró'st?* [1]), || *hic térrae totíus.*
CA 936 *Dé quo páuca tamén | suggeró, || quae légi secréta.*
CA 1014 *Nón navis áccipiét | hominém, || non úlla latébra.*
CA 1052 *Háec non de ínvidiá | canimús, || sed fíxa vidémus.*

§ 17.

In omnibus fere quae attulimus exemplis hepthemimeres gravior est altera caesura, ac semper ibi sensus inciditur. Saepe hepthemimeres unica est versus incisio, e. g. in:

I 5, 3 *Proinde nobílium úxòrés || sororésque dilúsit* (an: *Próinde nóbìlium . . . ?*).
I 22, 2 *Éxcùrrit álius ád sortés, || aves áspicit álter.*
I 33, 5 *Intràte* [2]) *stábulis sílvestrís || ad praesépia táuri.*
I 41, 11 [3]) *Séd mèdium témpus Héliás || mèdium Néro tenébit.*
II 1, 8 *Obrelíctae duáe tribuúm || et dimídia : quáre . .*
II 10, 3 *Inproperándum eís non ést, || licet cápti vidéntur.*
CA 340 *Ét pro fácìnoré nostró || Deus trádidit íllum.*
CA 615 *Ipsa spes tóta Deó crederé, || qui lígno pepéndit.*
CA 958 *Mórs tantum áderat ét labór, || nam cétera súrda.*
CA 1009 *Rúgit péstiferá cladés, || tremit éxcita téllus.*

---

[1]) cf. § 12. [2]) cf. § 36. [3]) cf. § 33.

Huc eos quoque versus referre oportebit, in quibus secundus ictus metricus in praepositione monosyllaba est, quam vix a substantivo caesura (trithemimere) secernemus:

I 28, 2 *Vivere póst fatá faciúnt,* ‖ *et quéri de áctu.*
CA 198 *Vt ibi súb legé viverént,* ‖ *donec ípse veniret.*
CA 235 *Nón ullum dé ferró secuit,* ‖ *non enplástro curávit.*
CA 586 *Ét scìre de vitiis regúm,* ‖ *de béllis eórum.*
CA 597 *Stát miser in medió mutús,* ‖ *cui plús dolet íntus.*
CA 603 *Níl sùa dé causá tractát,* ‖ *cum lúcra conátur.*
CA 648 *Ét càecum éx uteró natúm,* ‖ *ut vidéret in áuras.*
CA 744 *Véntùrum*[1]) *in terrás Dominúm,* ‖ *quem géntes adórant.*

Videmus igitur valde acceptam Commodiano fuisse hepthemimeren, semperque in his quoque versibus sensus incisionem respici observamus.

§ 18.

Trithemimeres etiam saepius quam penthemimeres cum hepthemimere videtur coniuncta esse. Cum Hanssen hac de re nihil dicat, e maximo exemplorum numero pauca adnoto:

I 11, 7. 27, 8. 41, 14.
II 1, 15[1]). 4, 10. 15, 9 (. . | *Dòm(i)ni*[2]) *mándatá*[3]) | . .). 22, 13. 24, 9. 32, 8. 35, 11. 17[4]).
CA 31. 46. 149. 224. 325. 357. 395. 435. 496[5]). 504. 601. 712. 753. 967. 1001. 1021.

§ 19.

Complures versus, qui trithemimeren et hepthemimeren continent, tertia insignes sunt caesura μετὰ τρίτον τροχαῖον quae dicitur:

I 25, 3 *In silvá* | *manére* ⸢ *quaerís* | . .; itemque 27, 12. 34, 21. 37, 6.
II 1, 27. 2, 10. 7, 12. 16, 24.
CA 880. 916.

---

[1]) cf. § 36. [2]) cf. § 13, 2.
[3]) cf. § 33 adnot. I 41, 11.
[4]) *Altissimum* (O) retinendum esse censeo.
[5]) gravis sensus incisio post *pater*.

§ 20.

Paucis tantum in versibus caesura μετὰ τρίτον τροχαῖον unica videtur esse:

I 10, 8 *Síc genuít generátus* ⌈ *qui fúit iam mórtuus ólim.*
II 7, 15 *Ályenúm non cupíre*[1]) ⌈ . . .

Falsa est Vernieri opinio, cum legit: *Alienum nón cupiré* et *cupire* brevem habere i (ĭ) ut omnia tunc IV. coniugationis verba adnotat; nec rectius ad *fugire* 26, 3 delegat, quae vox ī habet: *Cértàmen fúgiré* . .[2])

II 11, 10 *Sít tibi póst peccáre* ⌈ *desístere géstum inménsum.*
II 31, 6 *Résponsórem in álto* ⌈ . . .

§ 21.

Perraro caesura bucolica cum penthemimere coniuncta Commodianus utitur; exempla inveni haec:

I 16, 11 *Súnt àlia práetereá* | *daemónia* ⦚ *<prócul a> fánis.*
I 31, 9 *Súggerit hóc Paulús* | *apóstolus,* ⦚ *nón ego púlex.*
I 36, 15 *In cùius iúdiciúm* | *cum vé<ne>ri<n>t, íbi dignóscunt.*
CA 554. 560 *Ét stetít illís* | *in médio:* ⦚ *Páx vobis, ínquit.*

Caput III.

De hiatu et elisione.

Caesuras accurate observare oportet vel ideo, quod talem in modum quaecumque ad hiatum et elisionem spectant optume diiudicare possumus. Qua de re cum Hanssen[3]) aliique pauca vel potius nihil adnotent, Commodianum hiatum admittere semper, nunquam efficere elisionem paulo accuratius nobis erit explicandum.

§ 22.

Videamus igitur, quid versuum fines nos doceant. In pede quinto et sexto ictum grammaticum semper concinere supra

[1]) cf. P. II. § 32. [2]) cf. § 33 adnot. I 41, 11 et § 36.
[3]) § 37; Guil. Meyer p. 26.

demonstravimus; quam ob rem hiatum saepissime admitti facile concludere possumus ex versibus:

I 2, 8. 7, 3. 15, 5. 23, 11. 24, 16;
II 19, 23. 25, 4. 35, 2. 39, 21;
CA 117. 132. 181. 364. 394. 449. 486. 627. 768. 870.

§ 23

Atque elisionem post *m* finientem vitatam esse exempla haec demonstrant:

I 7, 6. 11, 11. 19. 16, 5. 18, 4. 19, 8. 22, 9. 26, 18. 26. 29, 12. 30, 2. 39, 7.
II 1, 3. 11. 17. 37. 7, 18. 11, 10. 14, 5. 15, 9. 16, 12. 18, 19. 21, 3. 22, 5. 6. 24, 5. 25, 1. 30, 11. 31, 6. 32, 14. 34, 3.
CA 13. 25. 34. 92. 111. 116. 153. 221. 222. 266. 283. 298. 383. 392. 405. 423 (!!)[1]. 472. 478. 506. 561. 568. 578. 697. 714. 721. 764. 812. 913. 1047.

§ 24.

Quidnam caesurae nos docent? Praemittam unum versum tredecimsyllabum quem hiatum postulare apertum est:

II 2, 17 *In annís millé ut férant córpora sánctis.*

Quod quidem exemplum certissimum; certa illa quoque quae sequuntur:

I 3, 9 . . *in terrá | artís prolátae fuére*
I 7, 10 . . *regeré | aut tótam múndi natúram.*
I 12, 17 . . *suó | honórem * ílli* . .
I 17, 8 . . *suá | allídunt** . .
I 26, 3 . . *lúxuriáe | et brévia* * . .
I 28, 4 . . *parté | et féra* * . .
I 32, 11 *Témpera té Christó | et cervícem illi depóne.*

Gravis quaedam ratio in hoc versu elisioni obstat: omnes in Commodiani carminibus caesuras simul sensus incisionem praestare saepius iam demonstravimus; quam ob rem *Christ' ét* | . . legendum esse minime putabimus.

[1]) cf. § 3.

I 33, 2 . . *moneó, | idém* . .
I 33, 4 . . *ferá | et exásperáta* . .[1]
I 33, 9 . . *Deó, | ubi mórtuus* . .
I 34, 14 . . *ignaré, | extíncta* . .
I 35, 20 . . *Christó, | et erítis* . .[1]
I 36, 11 . . *primá, || et * inde* . .
II 1, 44 . . *sanctí, | ad antíquae* . .
quo quidem in versu siquis elisionem fieri posse contenderit, secum reputet Commodianum nunquam tam gravi incisione praepositionem a substantivo seiungere.
II 7, 13 . . *múscipulí, | ubi mórs* . .
II 10, 4 . . *éxcusó: | ob delicta* . .
II 10, 5 . . *prómerití, | ideó* . .
II 12, 15 . . *práetereá | in d<el>ictis* . .[2]
II 14, 11 . . *Dominí, | et statím* . .[1]
II 15, 7 . . *videré | et fráudibus* . .
II 20, 5 . . *obiúrgaté, | ovántes* . .
II 20, 12 . . *estó, | ut sís* . .
II 24, 8 . . *indé, | ut té*
II 25, 11 . . *nútrirí | in óccisióne* . .[2]
II 27, 6 . . *reddité | inláesa* . .
II 29, 9 . . *ómninó | aurám* . .
II 30, 7 . . *iré | ad páuperem* . .
II 31, 12 . . *praebé | aut cúrsum* . .
II 35, 19 . . *ibí | aut détrahis* . . (an *detráhis*? cf. P. II. § 35).
II 36, 7 . . *páupercló | et erítis* . .[1]
II 36, 8 . . *istá, | extínguis* . .
II 39, 11 . . *summí | ardét* . .
CA 16 . . *brutí | et ignóti* . .[1]
CA 58 . . *édoceó, | ubi sít* . .
CA 85 . . *éligité, | arbítrio* . .
CA 115 . . *oculí | aut ós* . .
CA 225 . . *éxitió | omnís* . .
CA 326 . . *illé, | in aetérnum* . .[2]
CA 378 . . *egó | in géntibus* . .
CA 406 . . *virgó | et páriet* . .
CA 444 . . *Dominé, | animám* . .

[1]) cf. adnot. I 32, 11. [2]) cf. adnot. II 1, 44.

CA 530 . . *pro illó,* | *et pro nóbis* . .[1])
CA 533 . . *fació,* | *Esáias* . .
CA 598 . . *oré* | *et ílle* . .
CA 800 . . *anté* | *audívimus* . .
CA 984 . . *soló* | *ab ángelis* . .
CA 989 . . *sanctí* | *intránt* . .
CA 1012 . . *cáelicoláe,* | *agitúr* . .
CA 1025 . . *tónitrudá,* | *hinc túrbines* . .[2])
CA 1044 . . *tumulí,* | *exúrgent* . .

§ 25.

Addere oportet exempla haec:

I 13, 4 . . *furém* | *adhúc* . .
I 15, 3 . . *hominúm,* | *indócilis* . .
I 18, 6 . . *summúm,* | *ut Cáesar* . .
I 19, 12 . . *illúm* | *adflátum* . .
I 24, 9 . . *faciém* | *et dórsum* . .
I 25, 2 . . *pinguém* | *et stérili* . .
I 26, 8 . . *primúm* | *errásti* . .
I 26, 9 . . *vitám* | *istí* . .
I 29, 7 . . *pecorúm* | *et quícquid* . .
I 29, 9 . . *terrám* | *et mária* . .
I 35, 13 . . *manúm* | *et súme* . .
I 35, 23 . . *legém* | *omnés* . .
I 36, 6 . . *iúniorém* | *occísit* . .
I 36, 8 . . *íniquúm* | *incrévit* . .
II 4, 9 . . *caelúm* | *et ísta* . .
II 12, 10 . . *bellúm,* | *agónia* . .
II 25, 12 . . *subdolám* ‖ *et* vóbis* . .
II 30, 3 . . *bonúm,* | *obséquia* . .
II 33, 8 . . *diém* | *et éxitu* . .
CA 64 . . *portúm,* | *ubi súnt* . .
CA 77 . . *missám:* | *ùnus áudit* . .
CA 86 . . *vénenúm* | *aut suávia* . .
CA 119 . . *igném* | *appáruit* . .
CA 149 . . *hominém,* ‖ *ut * ésset* . .

---

1) cf. adnot. I 32, 11. 2) cf. § 32.

CA 186 . . *populúm* | *ad sé* . .
CA 356 . . *faciém* | *avérti* . .
CA 368 . . *patrém,* | *ut óra* . .
CA 476 . . *pacém* | *huiús* . .
CA 636 . . *Dominúm* | *omnís* . .
CA 694 . . *primúm* | *occúrrat* . .
CA 723 *Néc facit heredem illum ex ásse suórum*

Si elisionem in hoc versu admittimus, eodem iure quo in voce *heredem* fieri hoc puto in *illum;* neque vero *Néc facít heréd' ill' éx assé suórum* esset versus in Commodiani modum constructus. In fine certi sunt ictus: *ásse suórum*; caesura est penthemimeres cum hepthemimere coniuncta, legemus igitur sine elisione:

Néc facit hérédém | *illúm* || *ex ásse suórum.*

CA 918 . . *véstigiúm* | *eiús* . .
CA 947 *Méndaciúm* | *ibí* . .
CA 982 . . *populúm,* | *ut stét* . .
CA 1002 . . | *totúm orbém* | . .

§ 26.

Hiatu non admisso factaque elisione caesura legitima carerent versus:

I 2, 2 *Nólité, inquít,* | . .
I 6, 9 *Érgo sí illúm* | . .
II 2, 9 *In flammá ignís* | . .
II 10, 1 *Dúellúm (?) hostís* | . .
II 14, 6 *Ipsam úti<qué>* | . .
CA 87 *Bonum et malum est* | . .

elisione si utimur, quattuor tantum syllabas habemus. Quo in exemplo aphaeresis, quam in pede sexto satis saepe invenimus [1]), sane admitti potest: *malum' st*; legemus igitur: *Bónum ét malúm' st.*

CA 564 *Vestigium umbra* | . .

elisione adhibita ictus esset in brevi paenultima vocis primae: *véstigi' umbrá*, id quod nunquam committit Commodianus; ne secundarius quidem ictus

[1]) cf. § 12.

in tali syllaba invenitur[1]). *vestigium* Commodiani temporibus tres tantum syllabas continuisse verisimile est, conferas velim frcg: *vestige*, it: *vestigia*.

§ 27.

In altera quoque versus parte elisionis habitam esse rationem nullam certa exempla demonstrant haec:

I 34, 14 . . *ígnaré* | *extíncta*, * *áurea* . .
I 37, 15 . . | *de íllis* * . .
II 6, 1 . . | *fratrés ne* * *ódia* . .
II 7, 3 . . | *strophá ut* * *ésca* . .
II 19, 23 . . | *Christó offérte odórem*
II 23, 11 . . | *Stulté, hac* * *nócte* . .
II 38, 1 . . | *te éxaudíri de cáelo*
CA 305 . . | *prae óculis*[1])* . .
CA 420 . . | *in íllo* * *ómnia* . .
CA 452 . . | *Davíd de* * *ípso* . .

I 1, 1 . . . | *viám erránti demónstrat*
I 3, 2 . . | *terrám ab ángelis ístam*
I 4, 6 . . | *sic Déum ésse dicébat*
I 6, 21 . . | *natúm in* * *térra* . .
I 12, 17 . . | *honórem* * *ílli* . .
I 25, 15 . . | *tantúm in* * *ísto* . .
I 26, 29 . . | *fratrém a* * *frátre* . .
I 30, 1 . . | *bonúm osténdere cúnctis*
I 34, 6 . . | *et técum* * *ípse* . .
I 37, 4 . . | *caecúm in* * *fóssa* . . (tredecimsyllabus, ut elidi omnino nequeat!)
II 26, 4 . . | *nec únquam* * *ésse* . .
CA 92 . . | *magnúm et* * *húmilem* . .
CA 193 . . | *legém in mónte Sína* (!!)
CA 274 . . | *lignúm in* * *páne!* . .
CA 561 . . | *Thomám incrédulum íllum*
CA 827 . . | *Nerónem* * *ésse* . .
CA 831 . . | *invísum* * *esse* . .

[1]) cf. § 13, 2 adnot. II 15, 5 et § 15.

Ea, quae supra in § 15 de pede quarto diximus, respicientibus nobis haec quoque exempla addere licebit:

I 10, 3 . . | *humerále * ílli* . .
I 11, 1 . . | *citharóedum * átque* . .
I 32, 11 . . | *et cervícem * ílli* . .
CA 96 . . | *metuéndum * ángelis* . .
CA 850 . . | *inimícum * ésse* . .
CA 870 . . | *Christiánum * ípsa* . .
CA 932 . . | *inmortálem * ésse* . . ; —
II 13, 1 . . | *meritó se * ípsae* . .
II 29, 8 . . | *laqueó in * ísto* . .
II 36, 5 . . | *biberé et ** . .
II 39, 23 . . | *debitó et ** . .
CA 11 . . | *traditó in ** . .
CA 471 . . | *habeó de * ílla* . .
CA 834 . . | *medió hebdómadis áxe.*
CA 464 . . | *humilém quem * ánte* . .
CA 486 . . | *filiúm Altíssimi ésse*
CA 637 . . | *centriám eréxit ad íllum*
CA 640 . . | *placidúm ut * rédderet* . .
CA 653 . . | *hominúm in * mília* . .
CA 840 . . | *populúm in * nómine* . .

§ 28.

Omnibus quae attuli exemplis satis me demonstrasse puto, Commodianum elisionem vitasse, hiatum comprobasse. Multa praeterea exstare exempla, in quibus possit elidi, quis est qui miretur? Silentio praetereuntes illa, quae nihil demonstrant, ea tantum significabimus, in quibus primo aspectu videtur elisione opus esse:

I 7, 15 . . | *colité et bis * séna* . .

quoniam duae *e* inter se contingunt, elidere oportere facile pubimus; sed eundem hiatum saepenumero observamus: I 34, 14. II 15, 7. CA. 598. 777. — II 36, 5. 38, 1. — I 7, 3.

I 8, 1 *Dé Sòle ét Luná* | . .

conferas velim adnot. I 7,15.

I 9, 5 *Vt sacculum effundát* | . .

quamquam a primo elisione opus non est, tamen *effundát* legere difficile esse puto, exspectamus: *éffùndát*; quod quidem fieri potest si non elisionis auxilio, at certe syncopae, quae in Commodiani versibus tam saepe occurrit: *Vt sàclum éffundát* . .; lectionum * *sęculo venirent*, * *ille de férculo* commonefacere hoc loco liceat [1]).

I 19, 3 *Máne ebrio, crudó,* | . .

quo quidem in exemplo unico elisione aegre nos carere concedo.

I 28, 1 *Iustitia et bonitas* | . .

hunc versum Commodianus e classicorum poesi *(iūstĭtĭ' ēt bŏnĭtās)* videtur mutuatus esse, legisse autem: *Iústìça* [2]) *ét bònitás* | . .

Caput IV.

De Tredecimsyllabis.

Perscrutantes singula, quae ad artem metricam spectant, et prosodiaca et caesuras, et hiatum et elisionem, multa Commodiani propria cognovimus; iam vero singula adeamus versuum genera. Deligam eos qui minimum eosque qui maximum syllabarum numerum continent, dico et tredecim et duodeviginti septendecimque syllabarum versus.

§ 29.

Continent tredecim syllabas versus hi:

I 11, 6 *Ossibús* | *cuiús amór* | *Cassándrae flagrávit.*
I 13, 8 *Sícut ét Cacús* | *Vulcáni fílius ílle.*
I 17, 17 *Máiestás autém* | *illórum núlla locúta'st*
I 18, 6 *Véntum'st* [3]) *ád summúm,* | *ut Cáesar tólleret áurum.*
I 20, 1 *Títanás vobís* | *tutános dícitis ésse.*
I 25, 14 *Nám testámentúm* | *vetús* || *de ísto proclámat.*
I 30, 4 *Impíé tractás* | *cum ípso córpore, sítis.* .

---

[1]) cf. § 13.
[2]) cf. adnot. II 9, 7 § 30 et CA 919 § 14; Brewer pp. 345 sqq.
[3]) cf. § 12.

I 35, 8 *Hóc lignó mortís | quaerámus vítae futúrae.*
I 37, 4 *Idcircó | caecús caecúm | in fóssa redúcit.*
I 41, 10 *In septém annís | tremébit úndique térra.*
II 2, 17 *In annís millé | ut férant córpora sánctis.*
II 6, 7 *Bís Deó peccás, | qui lítes frátri proténdis.*
II 15, 13 *Inmités autém | iam scítis úbi demérsit.*
II 20, 19 *Láute cibatúm | disténso véntre declámas.*
II 20, 23 *In talí | spes ést vestrá | de véstro refécto.*
CA 193 *Pér quem dédit illís legém || in mónte Sína.*
CA 261 *Géns cervícosá | nimís || sempérque rebéllans.*
CA 413 *Pássió cuiús | praedícta'st*[1]) *táliter ánte.*
CA 479 *Ignomíniosí, | crudéles, cáeci, supérbi.*
CA 565 *Extendít palmás; | at ílle tángere cóepit.*
CA 706 *Qui tibí | nullúm verbúm | de lége demónstrant.*
CA 756 *In quorúm saepé | descéndunt sánguine díri.*
CA 813 *Pérgit ád Romám | cum múlta mília géntis.*
CA 957 *Quáe nos ét ipsí | sequémur púre vivéntes.*

Quidnam observamus? Omnes fere versus incipiunt a syllaba ictu insigni, licet enim addere eas voces, quae praepositionis aliarumve particularum auxilio formatae sunt (II 15, 13. CA 565). Rursus caesura, cuius de gravitate supra saepe diximus, magni est momenti; inde ab illa, i. e. post penthemimeren, ictus grammaticus et metricus sine exceptione concinunt; incisiones in iis versibus, qui hepthemimeren continent, sensum semper respicere manifestum est: I 25, 14. 37, 4. II 20, 23. CA 193. 261. 706.

---

[1]) cf. § 12.

Caput V.

De duodeviginti syllabarum versibus.

§ 30.

Pauca haec exempla imprimis Commodiani versuum rationem docere nos posse sperabimus, praesertim cum vel specie singulares sint:

I 12, 6 *Percipiet* (cod. C) *hóc* | *Semelé*[1]) *iterúm* | *Iovis áltera móecha.*

Percipit in hoc versu scribendum esse puto vel propterea, quod quae sequuntur enuntiati verba *(tollitur — datur)* praesentia sunt.

I 32, 6 *Lex tibi non ulla est,* | *nec te in prosperitate dignoscis.*

Certa caesura: penthemimeres, certi ictus 1. 2. 5. 6; aphaeresi adhibita legemus: *ullá'st*; syncopa i litterae facta in voce *prosperitate* post caesuram acuemus: . . | *nec te in prosper(i)táte* . .; dico „i litterae" non „e", quoniam et e illa *(prospéritas)* in lingua Latina graviorem ictum habet quam i, et in vocibus romanicis haec elisio postulatur, e. g: *pauvreté* < *pauper(i)táte*[2]).

II 3, 16 *Pér duodecím miliá* | *stadiá* ‖ *làta, lónga, sic álta.*

Nulla legendi exstat difficultas, cum *duodecim* tres tantum syllabas contineat: u = u̯, *du̯odecim*[3]).

II 9, 7 *Sérvitium quém pateát* | *hostibús sine lége deférre.*

Maximi momenti hunc esse versum quis est qui neget? Cum secundus versus ictus ponendus sit in *quem* voce, certissimum synizeseos *(serviçum)* exemplum habemus, quocum conferre oportet illud quod supra[4]) attuli.

CA 429 *Vno voló tituló* | *tangeré librum Deúteronómium* (= Déuteronómjum)[3]).

CA 483 *Circumveniamus iusto* | *si qui nobis gravis esse videtur* MP' (undeviginti syllabae!)

---

[1]) contra * *Seméles amátor* I 6, 17; an in versu nostro legendum esse putemus: *Seméle it'rúm*?

[2]) cf. Hanssen p. 67.

[3]) cf. § 14.   [4]) § 28 adnot. I 28, 1.

Guil. Meyer vult: *Circumvéniamús; nobis gravis ésse vidétur*; sed nulla probabili causa ductus illud *iusto si qui* codicis omittit. Caesuram habemus penthemimeren post vocem *(iusto)iustum*[1]), in voce *circumveniamus* synizesi uti necesse est, legemus igitur:

Círcu(m)veniámus iustúm | . .

Altera versus pars una syllaba abundat; Dombartus *nobis* delet, quam vocem malim servare; exstincta *esse* copula falso lecta ex fine *gravis* vocis haud scio an legendum sit:

si quí nobis grávis vidétur.

Caput VI.

De Septendecimsyllabis.

§ 31.

Primum quidem eos versus, qui sine difficultate leguntur, a disquisitionibus nostris secernemus; sunt autem hi:

in I: 5, 3[2]). 10, 7. 12, 15. 16, 10. 22, 9. 26, 26. 27, 22. 29, 2. 30, 8. 40, 7.

in II: 2, 5. 3, 7. 8. 4, 10. 6, 2. 10, 2. 5. 15, 9[3]). 17, 18. 18, 19. 20, 14. 21. 25, 5. 31, 9. 34, 6. 35, 9. 13.

in CA: 5. 20. 31. 42. 91. 111. 112. 121. 125. 173. 201. 213. 224. 225. 231. 259. 285. 294. 299. 315. 342. 345. 383. 400. 428. 442. 443. 444. 461. 539. 557. 583. 612. 623. 642. 680. 732. 782. 808. 830. 856. 874. 881. 948.

§ 32.

Deinde secundo loco agemus de versibus nonnullis, quorum textus videtur corrigendus esse:

v. I 41, 12 minime cum Dombarto in septendecimsyllaborum numero habebimus; nam reiecto verbo substantivo, quod ille supplevit, retinendum esse putamus

---

1) cf. ed. Domb. p. 147. 2) cf. § 17. 3) cf. § 18.

Túnc Babylón meretrix, incinefácta favílla,
Inde ad Hiérusalém pergét.

CA 1025. *Hinc ignis, hinc tonitrua, | hinc túrbines, tót mala férvunt.*

Cum u vocalis post mutam + liquidam nunquam in consonam (= u̯) verti possit, *tonitrua* vox quattuor syllabas continet ac prima versus pars abundat. Omittam cum Leimbachio *hinc* ante *tonitrua* interpositam; quo facto habemus antithesin:

hinc ignis, tonitrua — hinc turbines, tot mala.

Legemus igitur:

Hínc ìgnis, tónìtruá, | hinc túrbines, tót mala férvunt.

§ 33.

Iam de iis versibus agamus, ex quibus non solum in versus fine, sed etiam in primis versuum pedibus Commodianum synizesi usum esse concluditur:

I 16, 11 *Súnt àli̯a práetereá | daemónia* { <*prócul a*> *fánis.*

I 22, 10 *Ád probati̯ónem*[1]) (= probaçóne ?) *nostrám | dàemonés in múndo vag*<*ár*>*i.*

I 28, 1 *Iústìti̯a*[2]) (= jústìça) *ét bonitás, | pax ét patiéntia véra.*

I 32, 8 *Crúci̯ari̯úm* (= crúçàrjú(m)) *Dominúm | si nón adorásti, perísti.*

I 41, 11 *Séd mèdi̯um témpus Héliás || mèdi̯um Néro tenébit.*

‚Héliás‘, quod lex[3]) Commodianea videtur esse:

in complurium syllabarum vocibus longa paenultima in thesi sola ponitur.

Helías esse pronuntiatum concludimus ex v.

CA 833 **prophetábit Helías*;

similiter atque in exemplo nostro acuitur in

I 41, 8 *Héliás veniét | . .*

CA 839 *Ergo cum Héliás | . .*

CA 850 *Et dìcunt Héliám | . .*

II 32, 14 *Néc dolóre duxít | pàter fíli̯um mactándum ad áram.*

---

[1]) cf. I 28,1 § 28; II 9,7 § 30.

[2]) cf. s. I 22, 10 et II 9, 7 § 30. [3]) cf. § 36.

II 36, 2 *Bibèndo*[1]) *súperiús | inférior a ménte recédis.*
CA 786 *Excluditúr diu<t>iús | ab aetérna vita defúnctus.*
CA 1007 *Túnc àliud átque aliúd fulmén || iactátur ab ástris.*

§ 34.

Multa igitur exempla synizesis praebet, syncopae unum afferre possumus certum:

II 17, 19 *Sí refrigeráre cupís animám, || ad mártyris ito*[2]);
legemus cum Dombarto[3]) *refrigrare*:
Sí refrigráre[4]) *cupís* . . .

Sed etiam alia de re hoc loco disserere decet. Legimus in v. CA 649:

Post XXXVIII annis | paralýticum súrgere iússit, i. e:

Póst trìnta ócto annís . . , quam rationem syllabarum numerum coercendi iam Hanssen[5]) exemplis formae ‚trinta' allatis probavit. Neque tamen reticendum est in Commodiani carminibus formas non decurtatas occurrere:

I 26, 7 *Ánni te nón possúnt iam triginta* (an *trigínta?*) *réddere dóctum.*
CA 571 *Quádragínta diés* | . . (vel: *Quádràgintá dìés* | . . cf. cap. VII!).

Quibus in versibus pronuntiationi *tríginta*, *quadráginta* nihil obstare nobis est dicendum[6]).

Formas illas linguis romanensibus optume confirmari constat: it. prov. *trenta*; port. *trinta*; frcg. *trente*; it. *venti*; port. *vinte*; prov. *vint*; frcg. *vingt*; aliis.

Interest autem scire, quando haec acuendi ratio apparere coeperit. In A. L. E. 559, 4 XL = *quarranta*, 562, 2 *vinti* le-

---

[1]) cf. § 36. [2]) cf. § 3. [3]) cf. Domb. in S. 107 p. 767.
[4]) cf. *consurgere* § 13, 3.
[5]) p. 40.
[6]) Conferas velim de his rebus: Skutsch, Forschungen I pp. 161 sq: Ihm in ALLGr. VII pp. 69 sqq: Woelfflin ibid. V 106: Schuchardt II 461. 508; Seelmann 392/3: Lindsay III § 14, 4: Pirson p. 97: Meyer-Lübke in Groeberi „Grundriß" I² p. 484, 59.

gitur; Buechelerus autem cum in carminum ordine aetatis quam potuit maxume rationem habuerit, saeculi tertii haec esse [1]) videtur putare. Sed nescio an hac in re erraverit, nam primam huius accentus reprehensionem saeculo quinto apud Consentium [2]) invenimus: „barbarismus fit accentus, ut siquis dicens *riginta* priorem syllabam acuat et sequentem graviter enuntiet". [3])

Additamentum: Mirabilem in modum ii versus, qui magnum syllabarum numerum continent — 16/18 —, plerumque bini leguntur; quod quidem observatur praecipue in vv. I 10, 7/8. 16, 10/11. 22, 9/10. 26, 25/26. 41, 11/12. II 3, 7/8. 25, 4/5. CA 111/112. 224/225. 428/429. 441—444. 732/733.

Caput VII.

De acuendi ratione.

§ 35.

His peractis rebus omnia, quae de arte Commodianea exposuimus, complecti placet. Caesuras maximi momenti esse vidimus. Sed quamquam sunt illae antiquitus notae, tamen alia est vis; nam magis magisque apud poetas Romanos mos est, ut sensus incisio in caesura fiat [4]). Cum autem fere semper [5]) ictus metricus cum vocis fine ante caesuram concinat, versui Commodianeo vis inferri videtur; nam ictui grammatico quam plurimum concessisse Commodianum conspicuum est: in pede quinto et sexto neglecta omni quantitate ictus metricus et grammaticus semper concinunt, idem quod post penthemimeren in 1976 versibus (i. e. prope 60 %) observamus [6]); ex 2307 Commodiani versibus 1341 (i. e. 58 %) a voce monosyllaba incipiunt, 635 (i. e 27, 5 %) a voce bisyllaba vel a proparoxytona trisyllaba, 331 tantum versus (i. e. 14, 5 %) a voce, cuius ictus grammaticus in secunda versus

---

1) Conferre oportet adnot. carm. 548. 550. 558. 565.

2) G. L. K. V 392, 4 sq. 3) cf. Skutsch l. c.

4) cf. Sylla, Qua ratione poetae veteres Romani in hexametro sensus interstitium collocaverint. Vratisl. 1906.

5) exceptis paucis illis versibus, quos in §§ 20 et 21 enumeravimus.

6) cf. § 15.

syllaba est [1]). Quibus de causis quicumque Commodiani aenigma dissolvebat, de ictu grammatico cogitabat. Sed quot capita, tot sensus; eritne, ut his dissensionibus nos medeamur? Meyer et Hanssen syllabarum quantitates paulo nimium respiciunt, haud secus Vernier; qui quamquam recte conicit: „Ce qu'imitent les poètes populaires, ce n'est pas le mètre classique tel qu'il est en réalité, mais tel qu'ils l'entendaient prononcer et le prononçaient eux-mêmes", tamen in explicandis versibus plus licentiae agnoscit quam ut certas leges intellegere et percipere possimus. Praeter modum analogiam apud eum valere intellegimus, e. g. in notis eius ad I 2, 7/8 factis: „*Tránslatis ád quorum* . . cf. *íllico*, *cógnitus*, *súpplico* etc."; neque tamen, quamvis ad tales argutias confugiat, semper explicationem invenit, e. g. in I 21, 3 *purus*: „une faute difficile à justifier"; *mátŭră*, *éstŏtĕ* sunt „dactyles barbares"; denique versus I 33, 5: „difficile à scander". Atque Puechius quoque rem in medio relinquit: „ . . la métrique de Commodien aura toujours pour premiers caractères la confusion et l'incorrection. Elle est intéressante puisqu'il est certain que l'accent y apparaît avec un grand rôle . ." Contra certius iudicium Freppelius fert, cum dicit: „. . à côté de la versification classique, basée sur la distinction des syllabes longues ou brèves, l'ancienne poésie populaire continua de subsister, en dehors de tout respect de la prosodie et sans autre principe d'harmonie que l'accentuation". Nos vero ita iudicamus:

Commodiani numerus medium tenet inter duas illas [2]) acuendi rationes; praevalet iam ictus grammaticus. Fluctuans igitur quidam numerus Commodiano est „le principe d'harmonie".

Duobus imprimis versibus opinio nostra comprobatur:

II 26, 10 *Servate quod estis* | *et memorare potestis.*

II 27, 2 *Idcirco ministri* | *facite praecepta magistri.*

Quibus in versibus leoninas inter se consonantes clausulas *estis* — *potestis*, *ministri* — *magistri* quaesitas esse a poeta quis est qui neget? quae ut audiantur, ante ictum metricum in

---

1) cf. § 36.

2) i. e. inter ictum metricum et grammaticum!

paenultima alterum requirimus accentum acutum, i. e. grammaticum; legemus igitur:

Sérvàte quód èstís | et mémoráre potéstis.
Idcìrco minìstrí | fàcité praecépta magistri.

§ 36.

Iamque summae difficultates, quae adhuc in primis versuum pedibus se praebebant, facile opinor dissolvuntur; pauca eligam exempla:

I 33, 5 *Intràte*[1]) *stábulis sílvestrís* || . .
II 3, 17 *Rádìcem*[2]) *ín terrá* | . .
II 21, 7 *Ipsìus*[3]) *est tempús* | . .
II 26, 3 *Cértàmen*[4]) *fúgiré* | . .
II 36, 2 *Bíbèndo*[5]) *súperiús* | . .
CA 733 *Mánsuètis*[6]) *húmilibús* | . .
CA 744 *Véntùrum*[7]) *ín terrás* | . .
I 2, 8 *Tránslàtis Iúdaeís* | . .
I 6, 4 *Vérsàri máturúm* | . .
I 6, 11 *Práesèrtim mórtalí* | . .
I 6, 12 *Sátùrnus ín terrís* | . .
I 6, 19 *Inpùros óratís* | . .
I 6, 21 *Aúdìtis ét legitís* | . .
I 16, 9 *Béllònam ét Nemesím* | . .

Potuitne scribere et legere Commodianus: *Légitis ét auditís* . . ? *Némesim ét Bellonám* . . ? Non videtur potuisse; nam mea quidem opinione haec est lex Commodianea:

> in complurium syllabarum vocibus longa paenultima aut sola thesin explet[8]), aut altero ante arsin loco posita est.

Syllabarum quantitates tantum prout in ictum grammaticum vim habent a Commodiano respiciuntur.

§ 37.

Exstantne versus, in quibus ictus grammaticus non solum praevaleat sed ubique cum metrico concinat? Cui concentui

---

[1]) cf. § 17. [2]) cf. § 3 ad CA 291. [3]) cf. § 3 ad CA 145.
[4]) cf. § 20. [5]) cf. § 33. [6]) cf. § 14. [7]) cf. § 17.
[8]) cf. § 33 adnot. I 41, 11.

cum caesurae plerumque obstent, pauca tantum exempla proferre possumus:

II 11, 10 *Sít tibi póst peccáre* ⌈ *desístere géstum inménsum.*

II 14, 6 *Ipsam úti<qué>* | *nobis práestat réquiem véram.*

CA 266 [1]) *Créderet ín quo quís* | *habéret vítam aetérnam.*

Proxume ad hos versus accedunt:

I 29, 19 *Omnipoténtem Deúm* | *iam túnc ibi séro proclámans.*

I 33, 9 *Vno créde Deó,* | *ubi mórtuus vívere póssis.*

CA 281 *Dé virtúte suá* [2]) | *carná<liter ná>sci <se fécit>.*

CA 380 *Péte, et dábo tibí,* | *et habébis géntes herédes.*

CA 479 *Ignomíniòsí,* | *crudéles, cáeci, supérbi.*

Caput VIII.

De aetate Commodiani.

§ 38.

Reliquum est, ut prosodiacis et metricis Commodiani proprietatibus usi poetae nostri aetatem statuere conemur.

Quamquam ‚Disticha Catonis' ineunte saeculo tertio conscripta et Commodiani Carmina inter se cohaerere [3]) manifestum est, tamen ex magna linguae differentia, quae inter haec et illa intercedit, multo post — saeculo V? — Commodianum ex Distichis illis hausisse licebit concludere. Optimo iure Guil. Meyer et Weil et Benloew saepenumero Commodiani Carmina cum Augustini ‚Psalmo contra Donatistas' [4]) comparaverunt; occurrit enim et hic et illic

synizesis: Psalm. 2 *ábundántia* (= ábundánça?) *péccatórum*; cf. Commodiani **córda poténtium, iústìtia, sérvìtium*;

syncopa: Psalm. 4 *cómparáns regnúm caelórum réticuló* (legendum est: *réticló*); cf. Commodiani **sęculo venírent,* **ílle de férculo*;

1) cf. P. II. § 24. 2) cf. frcg. *sa* < *sųa(m)*!

3) cf. Manitius in Rh. M. N. F. 46 pp. 150 sqq.

4) C. S. E. L. 51, 1; conferas velim Engelbrecht, Philologisches aus Augustinus und Ambrosius p. 10.

hiatus [1]) : Psalm. 4 *missó in máre;* cf. apud Commodianum e. g. **térra Aegýpti*;

neque parvi aestimamus communes has popularis poeseos proprietates. Ceterum inter se differunt: in Commodiani hexametris leges observamus, non apud Augustinum, cuius in tetrametris trochaicis arsis vel in paenultimam correptam cadit (e. g: *própter hóc dominus*).

Denique Vernieri et Freppelii confisi observationibus: „les œuvres de Verecundus — i. e: ‚Exhortatio poenitendi'; VI. s. — nous offrent des morceaux tout analogues" de medio saeculo tertio longe descendere debemus. Cypriani aetate mirabile quiddam Commodianus, non ita saeculo quinto vel exeunte quarto. Nam tunc temporis talis linguae mutatio fiebat, ut veterum poetarum metra comprehendi non iam possent; sed quamdiu pristina hexametri forma retinebatur, nondum omni ex parte ictus grammaticus respici poterat. Vbique quantopere luctatus sit Commodianus perspicitur. Attamen „non numeris ab ipso inventis sed pridem notis ac vulgo tritis eum usum fuisse existimabimus" [2]).

---

[3]) etsi elisiones quoque apud Augustinum reperiuntur.

[4]) L. Mueller p. 446.

Pars II.

De rebus grammaticis.

§ 1.

In investiganda Commodiani aetate res grammaticae ex quibus concludatur magis idoneae sunt quam metricae, propterea quod in dicendi genere Romanorum certas leges percipere possumus, cum metrica poetae ars nullum fere habens auctorem aut imitatorem ex se ipsa fuerit explicanda. Sermoni cottidiano suum adaptans Commodianus summos et infimos exhortatur. Cuius dicendi generis exempla praebent nobis multa litterarum monumenta. Iam Boissier „Nous retrouvons“, inquit, „toutes ces façons de parler, augmentées de beaucoup d'autres, au V^e^ et au VI^e^ siècles“. Quam ob rem ut quae illis temporibus incrementa linguae latinae fuerint cognoscamus, simul vero ut quae Commodiani fuerit aetas statuamus; quam plurimos populares, i. e. qui sermonis cottidiani usum praebeant, audiamus scriptores inde a saeculo tertio et quarto usque ad sextum septimumve.

In universum cum quae scribis, quae ipsi auctori sint tribuenda, plerumque haud facile discernatur, secernemus a disquisitionibus nostris sonos litterasque. Disseremus igitur praecipue de formis Commodianeis, perstringemus etiam saepenumero quaestiones syntacticas.

Caput I.

De nomine substantivo.

Dicendum nobis est de nominis substantivi et genere et numero et casibus.

A. De genere.

§ 2.

Generis quidem alternantis et commutati pauca sunt exempla:

dies fem. gen.[1]) est in I 8, 5. II 20, 21. CA 642;

contra masc. gen. in I 11, 21. II 13, 5. 22. 2. 23, 18. 33, 8. CA 551. 861. 994;

utrumque genus etiam apud Vegetium militarem (fem. bis)[2]), apud alterum Vegetium[3]), apud Chironem[4]), apud Corippum[5]), in Actis Archelai[6]).

Eodemque modo in voce *finis* genus nutat:

gen. masc. tantum in CA 829, sed gen. fem.[7]) in II 4, 3. CA 398. 934;

conferas velim in lingua francogallica: *la fin.*

§ 3.

Masculinum feminini generis loco occurrit

in voce *suboles* CA 426. 725, quandoquidem *suboles* pro *filius* usurpatur (cf. infra s. v. *gentes*);

et in voce *aspis* II 9, 19 ut apud Prudentium in praef. in Symmach. v. 37[8]); Th. L. L. hanc ad vocem adnotat: „masculini generis aspis facta est per christianos ut anguis, draco“. Primus post Commodianum Prudentius († 413) nominatur, deinde Prosper Aquitanus (s. V.), Arator (s. VI.).

CA 686 *gentes*[9]) pro *homines gentiles* usurpari videtur, legimus enim: *gentes puros esse* (cf. supra s. v. *suboles*);

gens = *homo* I 26, 24: *Gens et ego fui perversa mente moratus* (cf. I 33, 1 sq.).

---

[1]) cf. P. Kretschmer in Glotta I pp. 331—333; Konjetzny ALLGr. XV p. 305.

[2]) cf. ind. Lang. s. v. [3]) cf. ind. Lommatzsch. s. v.

[4]) cf. ind. Oder. p. 358. [5]) cf. ind. Petschen. p. 239.

[6]) cf. ind. p. 119. [7]) cf. I. V. p. 269.

[8]) cf. ed. Domb. l. c.

[9]) cf. § 23 sub CA 893.

§ 4.

Vt in genere masculino et feminino, ita in masculino et neutro [1]) commutationes observamus; legimus enim

dictus et *edictus* pro *edictum* [2]) CA 81 (*dictos* M). 462;
actus pro *actum* [3]) I 27, 1. 28, 2. II 21, 12. CA 155.

§ 5.

Vice versa neutrum pro masculino legitur in vocibus

sumptum [4]) II 34, 2. (5).
victum II 23, 14.
flatum [5]) I 12, 5.

Easdem similesque generis mutationes apud Gregorium Turonensem invenimus [6]).

§ 6.

Notabilis est neutrius generis in femininum transitus in vocibus

plasma, -ae = *plasma, -atis* [7]) I 35, 2. CA 315.
sabbatae = *sabbata* I 40, 3 (cod. C).

§ 7.

Notabilior etiam feminini in neutrum est transitus:

blasphemium (> frcg. *le blâme*) [8]) I 31, 7. II 34, 8.
gazum [9]) II 14, 12. 31, 14.
hostium (?) CA 703; sed cum I 15, 5 legatur *voverunt hostias*, nescio an in CA legendum sit *quaerit hostiam nullam* [10]).
ignominium I 19, 1; idem apud Isid. orig. 5. 27, 25 [11]).
suppetium (*subpetium*) [12]) II 2, 15. 29, 12. CA 1013.
victimum (?) CA 884.

Ceterum numeri pluralis formas ut *gaudia* (> it. *gioja*, frcg.

---

[1]) cf. Konjetzny ALLGr. XV pp. 300 sqq.
[2]) deest apud Appelium p. 90.
[3]) cf. Th. L. L. I s. v.
[4]) cf. Appel p. 105 s. v. [5]) cf. Neue I 356 sqq; cf. § 14.
[6]) cf. Bonnet pp. 345 sqq.
[7]) cf. Brewer p. 342; deest *plasma* CA 315.
[8]) cf. Appel p. 74 s. v. [9]) cf. Appel, Beiträge p. 33.
[10]) cf. adnot. Domb. p. 160. [11]) Appel p. 75 s. v.
[12]) cf. Appel p. 77 s. v.; non invenitur nisi apud Commodianum.

joie)[1] pro singulari iam in Commodiani carminibus usurpatas esse[2]) negaverim, neque enim I 35, 17 *gaudia* — *esset* coniungere oportet, sed *gustus* (vel potius *gustum*?) subiecti loco supplendum est, praesertim cum saepius (I 26, 3. 5. II 16, 20. CA 212) *gaudia* cum plurali verbi coniungatur; in versu I 34, 18 (*veniet tibi saecla*) dubito, an *veniēt* (= *venient*) falso lectum sit; ambigo etiam in II 1, 15 sq. *mysteria* . . *conpleatur*[3]) (pro: *et* . . *conplentur*? an: *ut* . . *conpleantur*?); nam legitur apud Commodianum *mysterium* = sing.; *mysteria* = plur.[4]); in CA 952 *olera* — *sit* verbi numerus singularis ad *tantum quod* spectat.

B. De numero.

§ 8.

Neque multa de numero mihi sunt addenda. Saepissime pluralem numerum Commodianus praefert, e. g.

lanae I 3, 10 (cf. Ovid. Met. VI 9 *tinguebat murice lanas*).
lugia[5]), *-orum* I 29, 18.
mugitus CA 1039.
silentia, *-orum* II 35, 15;

sed talia apud omnes fere poetas occurrunt; alia res esse videtur in adiectivis plur. neutr. gen. substantivorum loco a Commodiano adhibitis[6]):

alta = caelum I, 22, 9. CA 587.
fortia[7]) (> prov. it. *forza*; frcg. *force*; cat. *forsa*; hisp. *forza*, *fuerza*; ptg. *força*) = vis CA 40. 316.
= miracula CA 576.
legitima = leges I 3, 3. 27, 4.

---

1) cf. Appel pp. 14 sqq; Meyer, Schicksale des lat. Neutrums im Romanischen p. 152; Suchier ALLGr. III pp. 161 sqq.

2) Brewer p. 354; Bonnet p. 350.

3) cf. comment. Domb. in S. 107 p. 763.

4) cf. ind. Domb. s. v.

5) *lugia* = *luctus* non nisi hoc Commodiani loco legitur.

6) cf. Schneider p. 10.

7) cf. Körting s. v.; Appel s. v. p. 68; Brewer p. 338; Gröber ALLGr. II p. 427.

media[1]) = dimidia pars II 2, 16.
primitiva CA 252.
propria = regnum CA 228.
salutaria = salus II 5, 2.
sancta = domus Dei CA 205. 693.
tempestiva = tempestas (tempesta? cf. § 9) CA 65.

Adiectiva gen. neutr. substantive usurpari passim reperimus apud Luciferum Cal.[2]), Dracontium[3]), Ennodium[4]), Corippum[5]).

C. De casibus.

Summam Commodiani aetate increbruisse casuum confusionem haec docent exempla

§ 9.

declinationis primae:

Passim *-a* pro *-am* scriptum invenimus. Qua in re quae scribis, quae ipsi poetae tribuamus haud facile discernimus; praetereuntes igitur has formas aliam numeri singularis speciem commemoramus:

CA 1008 *tempesta* = tempestas (cod. M).

Meminerimus in lingua francog. exstare vocem *tempête* ortam ex *tempésta(m)*, non ex *tempestáte(m)*; cf. it. prov. *tempesta*[6]).

§ 10.

Sed hoc leve, gravius illud, quod nominativus pluralis, qui plerumque *-ae* (vel *-e*) scribitur, septem locis *-as* praebet:

I 24, 16 *poenas aguntur* C
I 26, 10 *iniurias, lites ibi sunt* C
II 26, 9 *vos estis Christi lucernas* C B
II 31, 1 *divitias adsunt* O
II 35, 9 *divitias faciunt aut pecunias frontem* O
CA 699 *sunt tibi propositas duas vias* M
CA 898 *finitimas gentes fatiscunt* M.

---

1) cf. Körting p. 575. 2) cf. ind. Hart. p. 369.
3) cf. ind. Vollm. p. 437. 4) cf. ind. Hart. p. 638.
5) cf. ind. Petschen. pp. 231 sq; Appel, Beiträge pp. 33 sq.
6) cf. Körting p. 852.

Ex omnium codicum consensu scriptoris, non scribarum tantum hoc esse recte diiudicare videtur Brewerus[1]; attamen minime satis habebimus comparare eas formas cum Gregorii Turonensis latinitate[2], quae exceptis nominibus propriis unum continet exemplum: h. F. 5, 11 p. 200, 26 *lampadas refulgebant.* Quae formae iam inde a primo p. Chr. n. saeculo (C. I. L. XII 113 *Ceutronas* a. 74. teste Bonneto) in gallis nominibus propriis observatae[3] sero demum etiam in aliis primae declinationis vocibus occurrunt. Cuius modi exempla quam plurima conferre operae erit pretium:

C. I. L. II 38, 7 *filias . . posuerunt.*

C. I. L. III 2386[4] *ut liberti libertasque ponantur.*

C. I. L. III 3551[5] *hic quescunt duas matres duas filias et advenas II parvolas.*

C. I. L. III 4315 *Aurelias Sosicratia et Valentina fac(iendum) cur(averunt).*

C. I. L. III 13374[6] *Probilla filias et eredes posuerunt.*

C. I. L. VI 8398, 1 sqq.[7] *Fl. Castino . . collegas kar(issimo) posuerunt.*

C. I. L. VI 2817 = 32588add, 1 sqq.[7] *Iovi . . cives Dalmatas posuerunt.*

C. I. L. VI 13830 = Buech. A. L. E. I n. 497, 3 sqq.[7] *cuius reliquias cinerum hic ossa sepulta pie nunc blandae memoriae quiescit* (adnotat Konjetzny: ‚*reliquias* asyntacton pro nominativo‘).

C. I. L. VIII 3783 *filias matri fecerunt* (adnotatur: ‚male *filias* scriptum pro eo quod est *filiae*‘).

C. I. L. VIII 5352 = Buech. A. L. E. I 297 (a. 359!)[4] *bis senas turres crescebant . . totas.*

C. I. L. VIII 18198, 5 *sodalas* (= sodales nom.).

C. I. L. VIII 3105[4] *Ann(ia) Profine Annia Generosa alumnas.*

C. I. L. IX 3387a *collegas ieis locaueeru.*

---

[1] pp. 352 sq. [2] Bonnet p. 377.

[3] W. Schulze, Eigennamen pp. 4 sqq.

[4] Diehl, de M. finali epigraphica p. 204.

[5] Diehl pp. 204 sq. [6] Diehl p. 205.

[7] Konjetzny ALLGr. XV p. 320.

Buech. A. L. E. II 1599 = Not. d. scavi 1892 p. 186 [1]) *quen tumulant Arriae Chia et Crispinilla patronas*

apud Iordanem (a. 551!) = Mon. Germ. hist. V 1. 28, 3 *Norici duo Pannonias duas . . Dacias duas . . Epyros duos*

apud Benedictum Nursianum (medio VI. s.) 17, 10 *oratio, hymni . . terni psalmi, lectione et verso et misas* (= missas pro missae)

apud Antoninum Placentinum [2]) (vergente VI. s.)

162, 12 *sunt tres basilicas*
163, 3. 4. *sunt termas salsas*
163, 14 *sunt aquas calidas, quae appellantur termas*
167, 3 *fiunt matutinas*
169, 9 *uvas cistas plenas proponuntur*
171, 15 *pendentes murenas, anuli, . . balteos, coronas*
174, 7 *manus ambas apparent*
177, 12 *cellulas* (sc. *sunt*)
177, 13 *vineas* (sc. *sunt*)

apud Fredegarium (VII. s.) [3])

I 48, 1 *Cartago . . condita est a rege . . et alias urbis plurimas*
I 59, 31 *termas Neronianas aedecatae* (= aedificatae) *sunt*
I 124, 6 *ut omnes . . vicinas gentes . . canerent*
II 96, 14 *gentes, que vicinas erant*
II 106, 27 *uvas . . natae (nate) sunt*
III 162, 6 *ceterasque civitates aversae*
IVc 186, 13 (VIII s.) *res . . qui* (= quae) . . *sitas erant*

in Lege Rom. Vt. [4])

25, 11 *alias personas, qui*
51, 15 *si ipsas personas . . consentire voluerint*
55, 11 *puellas . . facere possunt*
57, 4 *tales causas . . remaneant*
75, 27 *qui personas potentes sunt*
75, 30 *ad illos ipsas res revertant*
77, 2 *dotes nupciales firmas esse non possunt*

---

1) Diehl p. 204.
2) = C. S. E. L. vol. 39. 3) Haag p. 41.
3) Stünkel § 17.

79, 5 *cum . . res ad sponsa tractas fuerint*
83, 8 *ipsas puellas vindicabunt*
87, 12 *sorores eius, quantas fuerint*
89, 16 *si . . ipsas puellas consenserint*
91, 6 *si duas sorores unum maritum preserint*
93, 7 *qualescumque cartas factas fuerint.*

Inde a saeculo octavo *-as* pro *-ae* saepissime occurrit in documentis Merovingicis [1]).

Hi nominativi omnes informati sunt ex accusativi analogia:

ut acc. *homines* : nom. *homines*,
ita acc. *poenas* : nom. *poenas*.

Certae aetatis exempla non ultra saeculum quintum transgredi notabile est, notabile etiam „Silviam" [2]), quam plurimum idiomati vulgari concessisse constat, his formis nondum uti. In media et infima latinitate accusativus pluralis nominativum sensim excepit, unde adhuc in lingua hisp. *las alas*, *las espuelas*, *las coronas*, *los toros*; et in francog. *les messes* (= missas), *les filles* (= filjas), *les couronnes* (= coronas); *duas, duos*, *ambas* numeralium formae redeunt in omnibus occidentis linguis romanensibus: hisp. *dos*, *duas* (hisp. vet.); ptg. *dous*, *duas, ambos*, *ambas*; prov. *ambs*, *ambas*; frcg. *deux* [3]).

Quae res cum saeculo quinto vixisse Commodianum designare videantur, paulo uberius tractatae sunt.

§ 11.

Declinationis secundae

pauca sunt exempla insignia; observamus nonnullis locis nominativum pluralem in *-i* pro *-ii* exeuntem:

fili (= filii) II 17, 8. CA 674. 732. 735.
Babyloni (= Babylonii) CA 907; contra *-ii* scriptum videmus in CA 854 *dii* M P[1].

Falsa est Breweri opinio, cum dicit [4]): „fili (Instr. II 17,8), Babyloni (Carm. 907) entsprechen der sehr häufig bei Gregor

---

[1]) cf. d'Arbois de Jubainville pp. 20 sqq; Groeberi ‚Grundriß' I² p. 481. [2]) = C. S. E. L. vol. 39.

[3]) cf. Diez, Gr. II. pp. 79 sqq; Dombarti in cod. Norimbergensem adnotationes in Hilgenf. Z. f. w. Theol. 1881 p. 470; cf. Domb. in S. p. 755. [4]) p. 353.

vorkommenden pluralen Bildung fili, Aegypti (Bonnet p. 336); die entsprechenden Genetivi Sing. auf *-i* bewahren dagegen bei beiden ihre volle Form"; inveniuntur enim gen. sing. in *-i* (pro *-ii*) exeuntes, e. g. I 35, 12 **lege primordi*, ac concinunt cum ea re Consentii (s. V.) illa: ‚quamquam a plerisque iam per unam i ecferatur iste genitivus' [1]). Similis genetivi usus apud Ennodium [2]), Venantium Fortunatum [3]), Corippum [4]) occurrit.

Vice versa, ubi simplex i pronuntiabatur, geminatam scriptam videmus in II 7, 15 **martýrii habére*; CA 21 **véste fastídiis.* Haec quoque ad omnes fere poetas pertinere non nescio.

§ 12.

Iam persequamur tertiae declinationis exempla.

a) Codd. M et C notabiles praebent nominativos

urbis (= urbs) CA 888

Iovis (= Iupiter) I 5, 8. 6, 1. 7, 4;

ut in adiectivis *conpotis* nominativum inveniemus in § 15 [5]).

Puto in his valuisse analogiam eorum vocabulorum, quorum nom. et genet. parem syllabarum numerum habent velut *febris, sitis, tussis,* alia.

Similis analogia observari videtur in his nominativis: I 26, 13 *luis* [6]), I 36,7 *subolis,* II 12, 6 *milis* C, II 16, 7 *prolis,* CA 846 *famis.*

Comparari possunt haec aliorum exempla: iam apud „Silviam" legimus *famis* 59, 5; ‚Carm. adv. Marc.' praebet *famis* III 185. *nubis* V 211. *divis* V 6; Venantius Fortun. *cotis* II 9, 9. *fruges, frugis* I 20, 18. VI 2, 43; Antonini Itinerarium *trabis* 161, 16. *sedis* 175, 7. [7])

---

[1]) G. L. K. V 359, 20 sq; cf. Hanssen § 33.

[2]) cf. ind. Hart. s. v. ‚declinatio'. [3]) cf. ind. p. 401.

[4]) cf. Welzel, De Claudiani et Corippi serm. ep. p. 65.

[5]) cf. Neue I p. 189: *Iovis* nom. sg. inde ab Ennio; Meyer-Lübke in Groeberi ‚Grundriß' I² p. 481; Georges⁷ s. v.

[6]) cf. Buecheler, Lat. Dekl. p. 8.

[7]) cf. Neue I 134 sqq; I. V. p. 263; Groeberi ‚Grundriß' I² p. 481.

b) II 12, 14 *satellem* quoque accusativus ex nominativi analogia informatus notabilis est.

c) Commodianus CA 165 *turrem* scribit[1]), ut fortasse eodem tempore Pelagonius passim *tussem (tussim* 81. 460) praebet[2]), post eum Gregorius Tur. *turrem*, *securem*, *navem*.[3])

d) In ablativis sing. *calci* II 1, 13 C. *breviori* II 29, 15. *diviti* II 31, 4. *protegenti* II 13, 2 pro: *calce*, *breviore*, *divite*, *protegente*, —

bipinne I 17, 8. *anastase* II 3, 1. *mare* II 4, 8. *caeleste* II 1, 32. 3, 2. 15, 2. *crudele* CA 722. *potente* II 4, 8. pro: *bipinni*, *anastasi*, *mari*, *caelesti*, *crudeli*, *potenti*, —

utrum haec Commodianea scribendi ratio fuerit an scribarum errores non diiudicamus; eadem nutatio in Actis Archelai[4]) observatur. Ceterum iam aevo augusteo poetas saepissime *e* scripsisse constat[5]).

§ 13.

Nominativi vel accusativi in *-is* exuntes[6]), quibus saepe Commodianus, passim Venantius Fortunatus[7]), semper Gregorius Tur. utuntur, notabiles sunt in numero plurali:

artis I 3, 9 C. *avis* CA 255 M. *cesaris* CA 871 M (= *Caesares)*. *dignitatis* I 26, 15 C. *doctoris* II 16, 15 O. *doloris* (?) II 1, 25 C B.[8]) *genesis* I 16, 2. 5. *gratis* II 29, 10. *martyris* II 17, 19 C. *mercis* II 39, 24 O. *piscis* I 7, 17. *sortis* I 22, 2 C. *virginis* I 16, 10 CB. *vocis* I 18, 11 C. *caelestis* I 22, 12. *fortis* I 7, 14. *inanis* I 23, 15. *omnis* I 7, 14. *perennis* I 29, 13 C. *qualis* I 12, 11. *silvestris* I 33, 5. *similantis* I 39, 6. *similis* I 19, 7. *<t>alis* (?) I 37, 7. *talis* CA 462. *terribilis* I 7, 14.

Sed aliae quoque formae[9]) a poeta nostro usurpantur, e. g:

---

1) cf. Neue I 196 sqq. 2) cf. ind. Ihmian. s. v.
3) cf. Bonnet pp. 395 sq. 4) cf. ind. p. 114.
5) cf. Bednara in ALLGr. XIV pp. 342 sq.
6) cf. Neue I 245 sqq. 7) cf. ind. p. 390.
8) Bis *dolus* pro *dolor* usurpatur, qua de voce v. ind. Domb. et comment. in S. 107 p. 786; cf. Brewer pp. 336 sq.
9) Non recte obloquitur Brewerus p. 354.

cesares CA 911 M (= *Caesares*). *doctores* II 16, 1. *martyres* II 1, 9. 21, 8. 32, 6. *caelestes* I 6, 19. *inanes* I 2, 2. 17, 1. II 14, 13. CA 84. *omnes* I 19, 6. 35, 23. II 1, 38. 2, 4. 5, 1. CA 25. 107. 152. *tales* II 1, 19. 19, 20. CA 14.

§ 14.

Denique de quartae declinationis substantivis quae sint dicenda videamus. Vt in genere tractando [1]), ita in formis commutationes observamus; primum quidem notabiles sunt dativi sing. in *-u* pro *-ui* exeuntes [2]):

II 20, 5 *officite luxu* (= *luxuriae obstate*)

II 1, 39. CA 983 *exercitu* (= *exercitui*).

Quoniam *o* et *u* vocalium pronuntiationem tunc temporis simillimam fuisse erit existimandum, in versu I 12, 5 'pro *flato suo* dativo fortasse *flatu* (= *flatui*) legendum est [3]); idem usus apud Venantium Fortun. [4])

Vnus exstat contractus genetivus plur:

II 1, 3 *tribum* O;

in ‚Carm. adv. Marc.' [2]) *fructum* IV 105, sed iam inde ab aurea latinitate easdem formas legi constat [5]).

Caput II.

De nomine adiectivo.

§ 15.

De motione adiectivi pauca mihi sunt dicenda. Augetur declinatio prima ac secunda adiectivis

---

[1]) cf. §§ 4. 5. [2]) cf. Oxé p. 46.
[3]) cf. Neue I 356 sqq. [4]) cf. ind. p. 397.
[5]) cf. Schuchardt II 506 sq; E. Hoffmann, de titulis Africae latinis § 11.

pauper, -a, -um[1]) II 20, 16. 30, 9; contra: *pauperibūs* II 31 (acrosticho confirmatum!), *pauperem* II 30, 7.
insignus, -a, -um CA 511[2]).

At *bifurcis* pro *bifurcus* usurpatur I 19, 11 ex *inermis* adiectivi aliorumve analogia.

belantum I 22, 3 et *clamantum* I 40, 2 sunt genetivi plur. *regum, pauperum, divitum* instar informati; semel *-tium* occurrit, vel in pede sexto: CA 919 **córda poténtium* (= potençum)[3]).

Eaedem formae *(-um* pro *-ium)* leguntur etiam apud Venantium Fortun.[4]) et apud Corippum[5]), similes iam apud classicos poetas (cf. Verg. Aen. VII 237).

Supra[6]) iam dictum est de adiectivis substantivorum loco usurpatis, de nominativo *conpotis*, de formis in *-is* exeuntibus.

§ 16.

Gradus comparativus semel *plus* particula (cf. frcg!) explicatur: CA 5 *plus eram quam palea levior.*

Estne primus re vera, ut vult Woelfflinus[7]), Commodianus, qui hunc usum praebeat? Potestne esse? Similia occurrunt in Vulg. Sirac. 23, 28 *oculi Domini multo plus lucidiores sunt*, apud Martianum Cap. (c. 430!): *plus solito laetior*[7]), apud Soranum 66 *plus humiliores*, apud Cassium Fel. 42 *plus calidius*, Sulp. Sev. chron. 2. 46, 5 *plus iusto inflatior*, Vit. Fulg. 26 *plus propinquior*, Ps. Fulg. serm. 12, 873 c *plus tutius*[8]); cum inde a saeculo quinto hic usus satis creber sit, cumque inter Commodianum saeculi tertii (?) et Vulgatam plus centum anni intersint, mea quidem sententia saeculo quinto potius quam tertio scripsisse Commodianum hoc exemplum significat.

magis cum comparativo, quod semel (CA 482) legitur, iam apud Plautum occurrit[9]).

---

1) inde a Plauto, cf. Georges[7] s. v. 2) cf. I.V. p. 274.
3) cf. P. I. § 14. 4) cf. ind. p. 401.
5) cf. ind. Petschen. s. v. ,declinatio'. 6) §§ 8. 12a. 13.
7) Comp. p. 47.
8) cf. Appel, Beitr. p. 35; Sittl, Lok. Versch. p. 101.
9) cf. Norden Rh. M. 49 pp. 198 sqq; Appel, Beitr. p. 35.

§ 17.

Bis comparativus pro prositivo vel elativo legitur[1]): CA 659 *velocius*[2]), CA 787 *citius.*

Iidem comparativi insolentiores leguntur apud Chironem 41, 1. 64, 1. 94, 16; apud Venantium Fortun. VIII 9, 5. 24, 15. 29, 15.

Caput III.

De numerali.

§ 18.

Haec mihi visa sunt notabilia:

CA 871 *duo* pro *duos* legitur: *duo sibi cesaris audit* cod. M (sequitur s!);

de *trinta* < *tríginta* < *trigínta* cf. P. I. § 34;

milia non iam cum genetivo substantivi coniungitur, sed cum eodem substantivi casu[3]):

duodecim milia stadia lata, *longa*, *sic alta* II 3, 16.

sex milibus annis II 39, 8. CA 791.

(fortasse etiam metri causa, cum multi genetivi in *-orum* exeuntes (e. g. II 3, 16) neque auribus blandiantur neque versui apti sint).

Idem usus apud Antoninum Plac. reperitur: *quinque milia populos* 165. 4; ac vergente saeculo quarto apud „Silviam": *milia passos sedecim* 37, 13; *quattuor milia passus* 48, 18; et apud Chironem: *singula milia passus* 8, 4.

CA 946 numerale distributivum singulari numero positum legimus: *ex duodena tribu* = *ex duodecim tribubus*;
similiterque in ‚Carm. adv. Marc.'[4]) III 92 *tercenteno equite*, et in Chironis Mulomedicina 132, 24 *terno die*[5]).

---

[1]) cf. Woelfflin l. l. pp. 63 sqq.

[2]) cf. Bellanger p. 119.

[3]) cf. Neue II 305 sqq.

[4]) cf. Oxé p. 48.

[5]) cf. Neue II 332 sqq; Brugmann, Die distributiven und die kollektiven Numeralia der indog. Sprachen, L. 1907, pp. 45 sq.

Caput IV.

De pronominibus.

§ 19.

Pronominum nonnullorum formae varie commutatae sunt. Quoniam paulo ante de adiectivis disseruimus, primo loco adiectiva pronominalia sequantur, quae in genetivo et dativo usum ab optima latinitate discrepantem praebent.

ulli genetivus sing. videtur esse in CA 908 *ulli dolere* (cf. *doleo vestri* II 20, 2).

Dativi insolitae formae sunt hae:

uno I 19, 3. 33, 9; eadem forma legitur apud Chironem 292, 14;

solo CA 93 M (*soli* P¹). 106 (a Dombarto restitutum ex *sola* M, *soli* P¹);

nullo II 22, 13. CA 136; conferas velim Pelagon. 65 *toto* (dat.), Victor. Vit. III 21 *illo, nullo*; III 15 *alio*.

Addamus *utroque* II 11, 3.

§ 20.

Insignis est usus pronominalis adiectivi

totus = *omnis*, *toti* = *omnes* (cf. frcg. *tout*; it. *tutto*) II 3, 10 27, 6. 38, 2.

totum, *tota* = *omnia* I 26, 15. CA 104. 128. 309. — I 37, 15. CA 133. 523.[1])

Creber hic usus, qui inde a Caesare et Hirtio occurrit, communis est Commodiano cum Chirone 123, 3; cum „Silvia" 38, 23. 87, 9. 95, 3; cum Sorano 128; cum Anthimo[2]); cum Corippo (septies)[3]).

alter[4]) pro *alius* (it. *altro*; frcg. *autre*) usurpatur: I 12, 6. 30, 2. CA 488 sq. 501. 504. 515 sq. 604;

itemque in ‚Carm. adv. Marc.' I 18. V 117; apud Anthimum 35. 49. 81.

---

¹) cf. Woelfflin ALLGr. III p. 470; Rh. M. 39, 107 sqq; I.V. p. 338.

²) cf. ind. p. 57.

³) cf. ind. Petschen. p. 258; Appel, Beitr. p. 38.

⁴) cf. Th. L. L. s. v. *alter* II 2: 4.

§ 21.

Pronominis demonstrativi et determinativi affero exempla haec:

haec pro *hae* II 1, 4; eadem forma passim apud Chironem, apud Pelagonium in ind. cap., apud Soranum II 17, 8. 23;

illum pro *illud* II 22, 5 *Vino* [1]) *copioso parce, ne per illum aberres*; *illud* II 35, 2. CA 383; *illum* etiam apud Victorem Vit. II 74 legitur [2]);

ipsud pro *ipsum* II 25, 9. CA 552; itemque apud Soranum II 23, 34. 19, 29; apud Anthimum prf. 19. 25. 34 (bis). 64. 78 (*ipsum* 21);

vice versa *alium* pro *aliud* II 10, 10 scribitur.

§ 22.

Ipse et *ille* saepius occurrunt quam ut ubique pronominum loco possint usurpata esse:

I 13, 8 *Cacus Vulcani filius ille*
II 14, 6 *ipsam . . praestat requiem veram*
CA 561 *adgreditur Thomam incredulum illum*
CA 569/70 *illi felices posteri, qui credunt*
CA 615 *ipsa spes tota Deo credere*
CA 657 *fuerat invitatus matre cum ipsa*
CA 870 *ipsa de urbe*
CA 911 *ibunt illi tres Caesares*
CA 980 *terribilis ille tyrannus.*

Quorum pronominum vis usu ita debilitata est, ut iam articuli romanensis significationem sentiamus [3]). Quamquam haud ita magnus est exemplorum numerus, tamen notabilis propterea, quod eundem usum inde a vergente saeculo quarto saepius observamus: apud „Silviam“ (c. 390) passim [4]), apud

---

[1]) Non masc. gen. fuit substantivum *vinum* (cf. Appel p. 88 s. v.) Commodiano: *vinus*, etsi hoc genus ut iam apud Petronium (41, 12) ita in Itala et postea apud Anton. Plac. (169, 4 *vinum qui*) invenitur; legimus enim II 34, 3 *vinum et esca* (nom.!). [2]) cf. I. V. p. 276.

[3]) cf. Skutsch, Forschungen I pp. 97 sqq; Konjetzny in ALLGr. XV pp. 335 sq. [4]) cf. Anglade pp. 80 sq.

Anthimum (c. 500)[1], in Regula Benedicti medio VI. s.[2]); apud Gregorium Tur.[3]), apud Antoninum Plac.[4]), apud Fredegarium[5]).

Vtrum *ille* an *ipse* praetulerit Commodianus, in parvo exemplorum numero incertum est. Postea in linguis romanicis paucis dialectis exceptis[6]) *ille* praevaluisse constat.

§ 23.

Pronominis relativi commemorare oportet exempla haec:

a) satis saepe (ter) *qui* legimus, ubi *quae* (et fem. et neutr. gen.) exspectes; sunt autem vv.

II 18, 13 *qui credit femina*

CA 893 sq. *multas gentes . . qui*[7])

CA 436 *idolis vanis, qui . . coluntur.*

i et *e* vocales inter se confundi passim potest observari in Commodiani carminibus, atque id forsan propterea, quod Consentio (V. s.) teste ‚Galli pinguius hanc (i) utuntur‘[8]), unde communis linguae francogallicae usus pronominis *qui* (= masc. et fem. gen.) explicari videtur. Postquam Brewerus[9]) Galliam Commodiani patriam esse demonstravit, adnotare hoc loco non dubitamus, quae Le Blant[10]) de aetate huius formae dixit: „En Gaule la première inscription datée, où j'ai trouvé *qui* féminin, est de l'an 431“ *(qui vitam suam prout proposuerat gessit qui vixit annos XVI . .)*[11]).

b) *cui (= qui)* secundariam huius pronominis formam esse opinatur Brewerus[12]) in vv.

II 16, 8 *cui renuntiasti*

CA 597 *cui plus dolet intus*;

minime recte, dativi potius *cui* est forma; observavit enim Brixius (Plaut. Capt. 152 *huic illud dolet*): „der unpersönliche

---

[1]) cf. ind. s. v. *ille*. [2]) cf. ALLGr. IX p. 506.
[3]) cf. Bonnet p. 278. [4]) cf. Bellanger pp. 90 sqq.
[5]) cf. Haag § 122.
[6]) cf. Meyer-Lübke II § 99. [7]) sed cf. § 3.
[8]) G. L. K. V 394, 12. [9]) cap. II.
[10]) Inscriptions chrétiennes de la Gaule I p. 89 n. 44.
[11]) cf. Groeberi „Grundriß“ I² p. 484; Konjetzny ALLGr. XV pp. 306 sq. [12]) p. 356.

Gebrauch von dolet *(cui)* ist in der Volks- und sogar in der gebildeten Umgangssprache sehr gewöhnlich."

§ 24.

Tribus locis cod. M *qui* pro *quis*[1]) praebet (cf. frcg. *qui?* = *wer?*) CA 90. 117. 381. Vice versa ex Loefstedtii emendatione *quis*, ubi *qui* exspectes, legendum est CA 265 *(Crederet in quo quis haberet vitam aeternam)*, qui usus plane volgaris inde a Catone raro occurrens deinde increbescit usque ad Venantium Fortun.[2]).

§ 25.

Denique pronominum indefinitorum memorabilis est et forma *neminis* CA 359, et usus *quisque* pronominis pro *quicunque* CA 749; similiter apud Chironem 55, 31; apud Corippum[3]), saepius apud Venantium Fortun.[4]).

In correlativis *tanti* semel pro *tot*[5]) legitur:

CA 999 *post . . funera tanta* (contra: CA 882 *tot funera)*; conferas velim Antonini *quanticumque* pro *quoquot* 179, 15. 187, 21. 188, 6; „Silviae" *quanti* et *aliquanti* pro *quot* et *aliquot* 74, 22. 91, 26; *tanti* = *tot* in ‚Carm. adv. Marc.' bis[6]); apud Vegetium militarem[7]), Luciferum Cal.[8]), Victorem Vit. III 67, apud Venantium Fortun. (quater[9]), apud Corippum passim (*tot* VI 68!)[10]); *quanti* = *quot* apud Victorem Vit. I 5. 7. 10. III 24. 28. Pass. 6; octies apud Corippum[3]), apud Venantium Fortun. X 2, 13.

---

1) cf. Skutsch in Glossa I p. 305.

2) cf. Loefstedt, Beitr. pp. 55 sqq. Schmalz, Syntax³ 369.

3) ind. Petschen. p. 254.

4) cf. ind. p. 415. — Konjetzny ALLGr. XV p. 333; Appel, Beitr. p. 37.

5) cf. Draeger, Syntax § 53.

6) cf. Oxé p. 49.

7) cf. ind. Lang. p. 246.

8) cf. ind. Hartel. p. 376.

9) cf. ind. p. 419.

10) cf. ind. Petschen. p. 258; Appel, Beitr. p. 38.

Caput V.

De verbo.

His satis cognitis nunc agemus et de forma et de vi verborum, ac primum quidem de formis mutatis quae repperi exponam.

§ 26.

a) Exstant formae insolentiores in coniugatione prima: *sonavit*[1]) CA 39. *domata* I 34, 4. *secatus* CA 514.

b) Deponentium numerus valde minuitur:
testifico I 1, 7. *populas* II 24, 13. *furare* = *furari* I, 15, 2. *vagare* = *vagari* I 33, 1 (*uacare* C); *uacari* C (= *vagari*) I 26, 2.

§ 27.

In coniugatione altera et tertia maxime conspicua est nutatio inter *e* et *i* 3. pers. sing. ind. praes., ut verba tertiae coniugationis persaepe in *-et* exeant ac vice versa:
pendit I 35, 9. *remanit* II, 4, 8 C;
delinquet II 7, 8. *furet* II 2, 13 C. *remittet* CA 604 M. *suggeret* I 31, 9 CB. *vivet* (*uiu&*) I 26, 27 O (cf. *censu&* I 3, 13 C).

Eadem terminationum confusio saepissime apud Venantium Fortun. observatur[2]).

Quae formae ultra in tertiam pluralis vim habuerunt: leguntur verba in *-ent* exeuntia, ubi *-unt* exspectes. Quod quidem quam usitatum fuerit, ex eo intellegi potest, quod VII. saeculo Vergilius Maro grammaticus[3]) aperte dicit: ,Qui prudenter verba noverunt scribere, distinctionem in omnibus servant, in modis et personis, sic enim declinatur *orior*, *oriris*, — *oriuntur*, sic et in omni verbo tertiae coniugationis sive productae sive etiam correptae *u* in tertia persona pluralis numeri semper adsumitur, ut *audiunt*, *legunt*, *metiuntur*, hoc ideo,

---

[1]) cf. Neue III 376, ubi exemplum supra notatum deest!
[2]) cf. ind. p. 399. [3]) p. 167 ed. Huemer.

nam si *e* scribitur, futurum tempus aestimatur'. Quas igitur insolentiores formas apud Commodianum reperimus, hae sunt:

credent = *credunt*, inscriptione et acrosticho confirmatum I 25.
plaudent = *plaudunt* CA 20. 480; conferas velim apud Luciferum Cal. *plaudeas* 42, 14. 49, 6.

vice versa *mereunt* II 4, 11.

fervunt CA 1025 (at *fervet* = *fervit* (?) CA 1021); Corippus I 104 *fervĕre* praebet.
de *lugunt* forma CA 949 cf. P. I. § 6.
de *cadére* cf. P. I. § 7.

De similibus „Silviae" et Antonini Plac. formis ad Angladium[1]) et Bellangerium[2]) delego eos qui haec legunt.

§ 28.

a) Notabiles praeterea sunt formae 2. pers. sing. ind. praes. in *-is* pro *-es* exeuntes:

ardis II 23, 1 C.
intuis II 20, 13 (cf. *intuite* paulo infra!).
languis I 26, 16 O (infinit. *languire*? cf. frcg. *languir*!).
respondis II 35, 16 (cf. frcg. *répondre* < *respóndĕre*).
subridis II 35, 19 CB (cf. frcg. *sourire* < *subrídĕre*);

et 2. pers. plur.:

II 29, 9 *Sórbitis ómninó* . ., *sorbĕre* iam Flavius Caper vituperat[3]), legitur apud Dracontium V 212. 3, 410 (at *sorbeat* V 133!), post eum apud Venantium Fortun. VI 5, 295. VIII 3, 349;

et imperativi:

* *exércite cáste* II 27, 1; falso igitur Dombartus scripsit *exercet* in CA 954, ubi M *exercit*.
Intuité I 31, 1. 39, 5; bis eodem loco! (cf. *intuis* II 20, 13).

b) Ex tertia quoque in secundam verba transisse docet versus I 22, 14 **cónsuléte pro vóbis*; eiusdem verbi formas similes praebet Venantius Fortun. IX 2, 89 *Consuleas dominae* . . IX 2, 96 *Consuleas genitae*, *consuleas patriae*. Quae formae

---

1) pp. 36 sqq. 2) pp. 45 sq.
3) G. L. K. VII 94, 14; vide etiam Neue III 271 sq.

derivatae sunt a similibus perfectis in *-ui* exeuntibus (*merui : mereo = consului : *consuleo*).

§ 29.

De infinitivis *augēre* (?), *lugēre*, *praebēre* (??) supra[1]) satis dictum est; restat igitur, ut admoneam de imperfectis:

capebat CA 120; sed in hoc versu Huemerum sequi malo, qui *capjebat* coniecit, quoniam eiusdem verbi *i* servata est in CA 406 *concipiet*, CA 990 *capiant*[2]);

ad *penderet* formam in pede primo versus CA 248 Dombartus in indice *pendĕret* (= pendēret) adnotat; quandoquidem I 35, 9 *pendit* legimus, Commodianum péndĕre (> frcg. *pendre*) pronuntiasse nolim negare; Eugenius Tol. c. 5, 8 *pendit* scribit.

Denique admoneo de futuro *tremebit* I 41, 10.

invideri CA 154 deponens est (*Qui, dum invidetur homini, perit ipse*).

§ 30.

Iam reliquas formas insolentiores enumerare liceat; sunt perfecta haec:

desinuit CA 201; apud Chironem quater[3]), apud Luciferum Cal. 240, 4 *desinuerint*;

occisit I 36, 6 (cf. vet. frcg. *ocist*!);

relinquit CA 279, servata *n* radicis ex formis *relinquo*, *relinquere* (cf. in § 31. participia nonnulla!); eandem informationem ‚Carm. adv. Marc.' praebet[4]) II 144. 165; vide etiam C. I. L. XII 1499 (a. 516) *linquerit*[5]);

considerat (= *consederat*) II 30, 4; *i* servata secundum praesens tempus et infinitivum;

fideris II 15, 10 fut. ex. vel coni. perf.

consuetum esse (= *consuevisse*) CA 545;

§ 31.

et participia perfecti haec:

absconsus II 1 inscr. et v. 1; 25, 9. CA 101. 672; qua

---

1) P. I. § 6. 2) cf. P. I. § 14.

3) cf. ind. Oder. p. 307.

4) cf. Oxé p. 46. 5) cf. Pirson p. 152.

de forma dicit Th. L. L. I 153: ‚*absconsum* legitur apud Ps. Quint. et inde a Tert.‘ inveni praeterea formas *absconsa* in Chironis Mulomedicina 260, 5; *absconsas* apud Corippum [1]) I 553;

depinctus II 19, 11 (cf. supra *relinquit*)

distensus II 20, 19

finctus I 12, 13. 18, 16. 19, 4 (cf. supra *relinquit*)

oblivitus I 27, 8 (nusquam legitur! [2])

repostus (in pede sexto) CA 959, *repositus* M (cf. frcg. *dépôt*); similiter hic illic iam inde a Vergilio.

§ 32.

Coniugationis quartae hasce praebet Commodianus formas mirabiles:

linitis II 19, 10; quoniam legendum est *nigróre linitis*; idem verbum bis apud Soranum II 31;

experitis = *experimini* I 7, 2; ut II 12, 7 *blandire* pro *blandiri* usurpatur;

imperfectum *scibat* CA 46 (*sciebat* P[1]) fortasse falso scriptum est pro *sciebat*, praesertim cum CA 373 *nesciebamus* legatur; similes formas nonnunquam iam apud Vergilium, sed multo saepius saeculo sexto apud Ennodium [3]) et Venantium Fortun. [4]) invenimus;

futurum *venibunt* CA 907 iam inde a Plauto in sermone cottidiano vigebat [5]).

Denique commemoro perfectum *prosilisset* CA 287, infinitivum *cupire* II 7, 15; cf. voces romanicas: sard. *kupire*; rtr. *cuvir*: prov. *cobir* (= „zuteil werden“), *encobir* (= „begehren“); frcg. *encovir* [6]);

de *fugire* quartae coniug. verbo supra [7]) iam dictum est.

---

[1]) cf. ALLGr. VI p. 152. [2]) cf. Georges [7] p. 1112.
[3]) cf. ind. Hart. p. 651. [4]) cf. ind. p. 403.
[5]) cf. Roensch ad h. l.; Neue II 341 sq.
[6]) cf. Neue III 243; Körting s. v.
[7]) P. I. § 5.

§ 33.

Ex anomalis affero haec:

erint II 3, 4. 23, 12. CA 394.

poterint I 27, 18; eadem forma apud Chironem 174, 25.
de formis *erītis, poterītis* supra[1]) dictum est;

periet CA 748 (cf. supra *venibunt*)

obi<*v*>it CA 323 (?); *obivit* ‚Carm. adv. Marc.'[2]) III 224.

rediuit (= *redibit*? = *redivit*?) I 24, 15; Chiron 166, 19
transibit (= *transivit*) praebet.

fiendus II 35, 15.

§ 34

Perfectum passivi secundum Schneiderum[3]) tricies quater verbi *fui* auxilio informatur, quem usum passim observare possumus in „Silviae" et Antonini Plac. intinerariis, apud Dracontium[4]), Victorem Vit.[5]), Venantium Fortun. (e. g. II 3, 16. IX 4, 4).

§ 35.

Denique de verborum recompositione[6]), quae dicitur, nonnulla mihi sunt addenda; cuius exempla sunt haec:

I 18, 10 *retacuit* (sed *reticeo* I 13, 2)
I 23, 8 *resedes* C, *resedere* BA
I 32, 1 (**persóna*) *provĕnit*
II 16, 12 *dilegere* C
II 22, 8 *depremere* (?)
CA 81 *obaudit*
CA 169 *disparsit*
CA 562 *contange*;

licebit fortasse asserere

I 7, 3 *exfŭgit* C
II 33, 6 *exferri* C.

Conferre liceat C. I. L. XIII 2354 = Le Blant inscr. chrét. n. 44. (a. 431): *Beatior in Dno condedit mentem*; C. I. L. XII 55. (VI. s.) *tradedit*; quas ad inscriptiones Pirson[7]) adnotat: „Ce sont des formes en *dedi* qui ont survécu

---

[1]) P. I. § 4. [2]) cf. Oxé p. 46. [3]) p. 30.
[4]) cf. ind. Vollm. p. 431. [5]) cf. ind. Halm. p. 85 s. v. *fuisse.*
[6]) cf. I. V. p. 466.
[7]) p. 108.

en roman dans les parfaits en *diede* de l'italien et en *diet* du vieux francais."

Exstat de ea re controversia; dicit enim Bonnetus[1]): „Ce sont des tentatives de restauration étymologiques, dues à des demi-savants. Très probablement ils n'ont existé d'abord que dans les livres et se sont répandus de là seulement dans la langue vivante. Il faut croire qu'ils ont fini par y pénétrer, d'après le témoignage des grammairiens[2]) et d'après celui des langues romanes[3]), qui en ont conservé plusieurs. Mais ce n'est certainement pas le peuple qui les a créés". Sed qui putes fieri potuisse, ut vulgus ex libris has formas reciperet? usitatas fuisse eas in sermone cottidiano linguae romanenses nos docent, imprimis francogallica: *retĕnet* > *retient*, *elégere* > *elieire* > *élire*, *infrángere* > *enfreindre*. Equidem scriptores plebi potius concessisse existumo[4]). Attamen *obaudit* CA 81 esse „tentative de restauration étymologique due à des demi-savants" concedo propterea, quod *ubbidire*, *obéir* formae romanenses ab *oboedire* ducuntur (*obaudire* > **oboïr* = *audire* > *oïr*!).

Saeculo tertio et quarto scriptores populares perpauca vel potius nulla eiusmodi exempla praebent, nisi quod apud „Silviam" semel illam simplicis formae renovationem scriptam invenimus: *obsedebant* 63, 23 pro *obsidebant*[5]); contra Antoninus satis saepe iam talibus formis utitur: *abstenentur* 164, 1 *collegitur* 169, 1. *inclausus* 169, 14. *reclausa* 173, 3. *addedit* 176, 13. *resedebant* 189, 3[6]). Quare cum in Commodiani carminibus exemplorum numerum minime parvum respicimus, auctorem nostrum post saeculum tertium et quartum scripsisse verisimilius est.

§ 36.

Conspicua compositorum et decompositorum est copia[7]), vi aut sensu simplicium vix mutato.

---

[1]) p. 493. [2]) cf. Velius Longus, de orthogr. p. 73, 10 K.
[3]) cf. ALLGr. IV p. 422. [4]) cf. Seelmann pp. 58 sqq.
[5]) cf. Anglade p. 22. [6]) cf. Bellanger p. 47.
[7]) cf. Schneider p. 22; vide etiam Löfstedt, Studien pp. 51 sq.

a) Composita sunt haec:

adesse = *esse*, passim; saepe etiam apud Dracontium et Sedulium [1];
de *esse* simplici abundanter usurpato cf. ind. Domb. p. 212.

cohaerere [2] = *haerere* II 25, 5; *haerere* = *inhaerere* I 24, 21; *inhaerere* II 23, 19.

concupere (*concupire*?) II 23, 4.

conlaudare I 41, 15.

conplacere I 22, 9. CA 185. 359; de *placere* cf. ind. Domb. p. 231.

decurrere I 21, 6. 24, 11.

deflere = *flere* I 26, 14. II 8, 5. CA 939.

degustare CA 323. 333; *gustare* quater [3]).

delingere (= *lambere*) II 2, 10.

deludere I 5, 3.

demonstrare = *monstrare* I 1, 1. II 18, 17. 19, 21. CA 706.

denudare (= *spoliare*) II 29, 12; > *dénuer* frcg.
nudatus a lege = *sine lege* [3]) I 24, 2.

denuntiare CA 335; > *dénoncer* frcg.

depingere = *pingere* I 9, 1.

deplorare = *plorare* II 24, 11.

deponere = *ponere* CA 338; *ponere* passim [3]).

deportare = *portare* CA 63; *portare* bis [4]).

derumpere = *rumpere* CA 641.

devenire = *venire* CA 243; > *devenir* frcg; *divenire* it! conferas velim similem crebrumque Anthimi usum 4. 10. 11. 12. 34. 35. 70. 81.
venire [5]) = *fieri* (?) et = *evenire*.

devitare = *vitare* II 16, 14. 25; *vitare* [6]) = *fugere* passim; = *transgredi*, *laedere* bis.
evitare = *aversari* ter [7]).

exorare = *orare* II 35, 17. CA 991; *orare* = *adorare* passim [8]).

permori I 27 inscr. et v. 1; 29, 18. CA 752.

---

[1]) cf. Brewer p. 333.
[2]) cf. Lucif. Cal. ed. Hart. pp. 355 sq. s. v. *con-*.
[3]) cf. ind. Domb. s. v. [4]) cf. ind. Domb. p. 231.
[5]) cf. ind. Domb. p. 248. [6]) cf. ind. Domb. p. 249.
[7]) cf. ind. Domb. p. 212. [8]) cf. ind. Domb. p. 229.

persequi = *sequi* II 17, 9; *sequi* (et *sectari*) = *animum convertere*, passim[1]); = *pergere loquendo* I 31, 4[2]).
procludere = *claudere* II 16, 15; *claudere*[3]) = *obcaecare* bis, = *peragere* bis.
promereri, *promerere* = *mereri* II 10, 5. 18, 20; *merere*, *mereri* ter[4]).
pronasci = *nasci* I 6, 13. 10, 1. II 32, 12; *nasci* quinquies[5])
prosequi = *sequi* (cf. *persequi*) CA 177. 179. 585.
providere = *videre*, *noscere* CA 1010. (*bona videre* = *felicitate frui* II 15, 7).
recondere = *condere* I 27, 16.
redarguere = *arguere* CA 219.
referre = *ferre* I 34, 11. *ferre*[6]) = *auferre* CA 2. 596; = *offerre* I 16, 3; = *proferre* I 35, 9.
reportare = *portare* CA 339.
resedere = *sedere* I 23, 8.

b) Decomposita etiam notabiliora sunt:
adinvenire[7]) CA 361. 920; *invenire* pro *acquirere* CA 54[8]).
deperire = *perire* CA 691.
detransfigurare (= *mutare*) CA 110.
obrelinquere II 1, 8 (cf. Lucif. Cal. 147, 24).
pertransire (= *praeterire*)[9]) CA 759; *transire* bis[10]).
< *iterum* > *resurrexit* CA 547; *surgere* bis[11]).
superextolli CA 28; *extolli* = *superbire* I 32, 2; *supertollere* II 20, 2

Quibus cum exemplis conferas velim „Silviae“: *p erdiscoperire* 59, 24. *persubire* 39, 27. *peraccedere* 51, 30. *perintrare* 62, 19. *pertransire* 88, 16. 21. 23. *reingredi* 45, 2. *cooperire* 54, 22. 28. et Antonini Placentini: *pertransire* 169, 9. *cooperire* 171, 17. *discopertus* 179, 2.

---

1) cf. ind. Domb. p. 241. 2) cf. comment. Domb. ad h. l. p. 42.
3) cf. ind. Domb. p. 202. 4) cf. ind. Domb. p. 225.
5) cf. ind. Domb. pp. 226 sq. 6) cf. ind. Domb. p. 214.
7) inde a Tertulliano; cf. Gradenwitz, Interpolationen in den Pandekten, pp. 230 sq. et Woelfflin in Sitzungsberichte der kgl. bayr. Ak. 1880 pp. 414 sq. 8) cf. ind. Domb. p. 222.
9) cf. I. V. pp. 209 sq.
10) cf. ind. Domb. p. 246. 11) cf. ind. Domb. p. 244.

§ 37.

Denique Commodiani tria significabo composita, quorum praefixa negationem supplent[1]), dico

abuti[2]) = *non uti* II 15, 9. 22, 4.

discredere (> frcg. pop. *décroire*) = *non credere* I 1, 3. 23, 10. 25, 17. 29, 15. II 24, 3. CA 556.

invidere = *non videre* CA 831.

§ 38.

Atque haec quidem de formis, venio nunc ad vim verborum, qua de re pauca sunt dicenda.

a) Alia verba activa pro passivis usurpantur:

deprecatus = *rogatus* CA 645.

oblitus II 32, 5.

partitus II 2, 16. CA 184. 834. 926; idem usus in ‚Carm. adv. Marc.'[3]) IV 52.

recordari = *moneri* II 7, 6. CA 675; = *revocari, converti* CA 787.

tuentur CA 292 (*tuere* iam Cicero de legg. 3, 7).

tutantur II 1, 28.

bellari est et passivum I 34, 12 et deponens I 33, 8 (cf. Verg. Aen. XI 660).

b) Aliis contra consuetudinem transitive utitur Commodianus:

obstare II 18, 15 *(frigus ut ostent)*,

obstare (itr.) > *obstare*, *ostare* (tr. apud Commod.) > prov. *ostar*, frcg. *ôter* (tr.)[4]).

erumpere = *eripere* I 18, 11. II 24, 5 (contra intransit. II 1, 34. 13, 3). Loefstedtius[5]) simile Ammiani Marcellini exemplum XV 5, 36 atque Ennodii (carm. I 11, 9 *abrumpere* = *abripere*) usum confert.

c) aliis intransitive[6]) utitur, ut puta

---

[1]) cf. Pokrowskij in Rh. M. 52 p. 428 et 61 pp. 188 sqq.

[2]) cf. Brewer p. 333. [3]) cf. Oxé p. 48.

[4]) cf. Brewer p. 148; Ducange, Glossarium med. et inf. lat. IV p. 745 s. v.; videas etiam Lejay in Rev. crit. 1907, 38 pp. 208 sq.

[5]) Beiträge pp. 62 sqq.

[6]) cf. Loefstedt, Beitr. pp. 85 sqq. 90 sqq; Elter in Rh. M. 41 pp. 517 sqq; Woelfflin ALLGr. X pp. 1—10.

cogere II 2, 13 = *convenire*.
delumbare I 16, 10 = *delumbari*, *delumbem fieri*.
demergere II 39, 21 = *demergi*; Corippus quoque, qui permulta verba activa sensu intransitivo usurpat, VI 768 *mergere* pro *mergi* praebet.
exstinguere I 30, 9 = *mori*.
producere II 1, 31 = *progredi* προάγειν; idem usus quinquies apud Dracontium[1]); atque commemorare hoc loco liceat Chironem *deducere* et *perducere* verbis transitive et intransitive uti[2]).
refrigerare II 1, 45. 17, 19 = *recreari*; itemque apud Anthimum 81, passim apud Chironem[3]).
rotare I 19, 11; absolute etiam apud Corippum IV 572[4]).

Caput VI.

De particulis.

§ 39.

A. De Adverbiis[5]).

Quibus cognitis deinceps dicendum est de particulis, ac primum quidem de adverbiis.

Veteres formae in *-e* et *-ter* exeuntes etiam apud Commodianum exstant, ut puta *pure* CA 957. *graviter* II 7, 8. 11. *gentiliter* II 16, 19. 32, 7. *festinanter* II 32, 17. *perseveranter* CA 676; uno tantum loco (I 17, 11) novam illam invenimus, quae in linguis romanensibus adhuc viget:

* *intégra ménte*[6]) = *entièrement*, similiter I 26, 24 *perversa mente*[7]).

---

[1]) cf. ind. p. 395. [2]) cf. ind. pp. 353 sq. 405.
[3]) cf. ind. p. 421. [4]) cf. Appel, Beitr. pp. 39/41.
[5]) cf. ind. Domb. [6]) cf. P. I. §§ 3. 8.
[7]) De simili ‚Carminis adv. Marc.' usu cf. Oxé p. 48 s. v. *mente*.

§ 40.

In universum adverbia

a) et confunduntur inter se:

incaute = *inopinato* CA 1003.

praesertim = *disertim* I 6, 11. 41, 17. CA 647.

cetera = *ceteroquin*[1]) I 9, 2.

ceu = *quasi* II 35, 12. CA 520.

denuo = *invicem* II 20, 17.

forte = *fortasse*[2]) I 7, 2. 14, 2. 3. 26, 21. 29, 8. II 8, 13. 10, 4. 10. 28, 9. 33, 11. 34, 4.

gratis = *frustra* I 11, 14.

vane = *frustra* I 24, 3.

plus = *magis* CA 5. 597.

proprie = *recte* CA 1.

minime = *parum* CA 72.

nimium = *nimis* I 29, 1. 30, 5; idem usus apud Venantium Fortun.[3]).

omnia = *omnino* II 23, 6.

sic = *totidem* II 3, 16 (cf. *totidem*!).

superius = *plus*, *nimium* II 36, 2.

tam = *haud secus*, *sic* I 7, 16.

totidem = *itidem*[4]) I 7, 13. 25, 6. 41, 2. II 26, 3. CA 273[5]). 623.

de adverbiis *velocius*, *citius* cf. § 17.

b) et praepositionum auxilio nova informantur adverbia:

in absconsum = *clam* II 25, 9; cf. *per occulta* CA 316; nusquam legitur *clam*, circumscribitur praeterea: *latenter* CA 767. *occulte* CA 776. *furtim* I 5, 7. *silentio* CA 598.

in suprema = *maxime* II 23, 13.

sine causa = *frustra* CA 76.

in vacuum = *frustra* I 27, 13. II 8, 4; vidimus igitur *frustra* adverbium saepissime et varios in modos circumscribi[6]):

---

[1]) cf. Woelfflin ALLGr. p. II 92.

[2]) cf. Woelfflin, lat. u. rom. Comp. p. 12.

[3]) cf. ind. p. 409.

[4]) cf. Brewer p. 344; Sonny ALLGr. XI p. 132 ad Cat. 92, 3; Hartel ALLGr. III p. 33. ad Lucif. Cal.

[5]) Roensch adnot. ad h. l.

[6]) cf. Woelfflin ALLGr. II pp. 17—19.

adverbiis *gratis* (v. s.), *vane* (v. s.), *sine causa, in vacuum, in vacuo* I 12, 10; *in vano* (> *invano* it.; *en vain* frcg.) I 17, 15. 19, 14. 21, 9. CA 693. 781; *frustra* semel (CA 436) legitur.

a se = *sua sponte* I 19, 11; conferas apud Lucif. Cal. 172,1.

in totum = *omnino*[1]) I 37, 22. II 16 inscr. 38, 6. CA 204. 398. 485; idem usus occurrit apud Chironem[2]) et Soranum[3]).

in suprema = *vehementer* II 23, 13.

§ 41.

Eadem fere, quae nunc cum maxime in adverbiis modi observavimus, in adverbiis loci reperiuntur.

a) et commutantur inter se:

retro = *pone* CA 430 (apud Soranum quater pro *supra* usurpatur);

b) et a praepositionibus pendent[4]):

abinde CA 330. 496 (*exinde* apud Anthimum 79).

inibi II 3, 12; cf. „Silvia“ 58, 23. Chiron 222, 16.

Huc referre liceat:

in omni loco CA 348 (cf. *omni loco* CA 902. 965).

sub uno = *uno loco* II 2, 11. 14, 8.

in medio = *palam* I 22, 14.

c) Notabile esse puto etiam *inde* adverbium, quod Commodianus et pro *ea re* (I 24, 14. 29, 15. II 35, 10) usurpat, et pro *de ea re, eius rei* I 25, 7 *(te paenitet inde).* Quis non meminerit constructionis francogallicae *„il s'en repent“*, quo in enuntiato *en* derivandum est ab *ent*[5]) (< *inde*). Quod quidem ut plane vulgare est, quandoquidem nisi ineunte saeculo sexto in Anthimi epistulae praef.: *inde reddo rationem (> j'en rends [< rendo] raison frcg.!)* vix reperiatur, ita extremam veteris latinitatis aetatem significare existimo.

---

[1]) cf. § 20. [2]) cf. ind. p. 444. [3]) cf. ind. p. 166.

[4]) cf. Skutsch im Jahrb. f. Philol. Suppl. Bd. 27 pp. 95—97.

[5]) cf. e. g. ‚Eulalia‘ 15. ‚Aucassin et Nicolete‘ ed. Suchier 40, 42.

§ 42.

Quibus expositis de adverbiis temporis nobis est dicendum:

a) *ante* (vicies ter) = *antea*, quae vox desideratur omnino; cf. apud Chironem *ante* = *primo* 293, 13; eadem vox adverbialiter apud Vegetium militarem[1]), semel apud Merobaudem[2]), passim apud Dracontium[2]).

diurnum = *cottidie* I 26, 10. CA 599. 609; idem usus in Chironis Mulomedicina 27, 26. 49 24. 99, 30. 119, 9.

interdum = *interim* CA 57. 83.

iterum = *deinde* I 14, 1. CA 891.

(*iterum* = αὖ I 36, 2. CA 695).

postquam = *posthac* Ca 779.

modo = *nunc*[3]) I 3, 14 passim, ut apud Venantium Fortun.[4]).

saeclo = *olim* CA 572.

aevo = *in hac vita* CA 759.

ulterius = *postea* II 11, 8 (cf. infra s. v. *inante*).

ultime = *postremo* I 28, 9.

usque = *semper* CA 994 (*status <us>que dies*);

b) augetur numerus eorum aliis praepositionum auxilio informatis, ut puta

a longe CA 428; eadem compositio apud Venantium Fortun. I 6, 17.

extunc[3]) I 9, 5; apud Ven. Fort. IX 2, 5.

exinde[3]) (= *deinde*) CA 567.

proinde (= *deinde*) I 5, 3. 34, 4. II 8, 4.

ex eo (= *deinde*) I 41, 19. II 1, 43.

in primis (=*primo*) II 28, 4; (= *initio*) CA 59; cf. *temporibus primis* (= *primo*) II 5, 3.

sub uno momento II 22, 16.

in ultimo (= *postremo*) CA 1020.

per tempora[5]) (= *brevi tempore*) I 21, 9; idem usus apud Chironem 125, 21. 205, 21.

c) Notabile hoc loco mihi videtur *inante*[6]) (> *enan* prov.)

---

[1]) cf. ind. Lang. p. 172. [2]) cf. ind. p. 318 s. v.
[3]) cf. Skutsch, Jahrb. f. Philol. l. c. [4]) cf. ind. p. 407.
[5]) cf. Woelfflin, l. l. pp. 67 sq. [6]) cf. Brewer p. 339.

II 5,7., quo de adverbio Meyer-Lübke[1]) adnotat: „*inante* seit Commodian“, nec potuit aliter, quod Commodianum saeculo tertio vixisse putabat; contra Handius[2]), cum praepositiones duas in adverbialem usum componere Latinos solitos esse vulgari sermone dicit, unum Vegetium (ex. saec. IV.) militarem auctorem novit, qui *inante* coniunxerit (1, 21 *sinistros pedes inante milites habere debere*; 1, 24 *ita ut inante sit fossa)*, eodemque fere tempore „Silvia“ bis hoc adverbio utitur (47, 13. 65, 1.), Hieronymus adv. Iovin. II 33 *(ad ea quae in ante sunt)*, Cassianus bis[3]).

Per centum quinquaginta annos hanc particulam evanuisse, denuo apparuisse tantum inde ab exeunte saeculo quarto esset mirandum; immo carmina nostra ineunte saeculo quinto conscripta esse hic Commodiani usus aperte demonstrare videtur[4]).

Si quid de huius compositae vocis historia addere licet, praepositionis quoque loco, id quod negant Woelfflinus[5]) et Hampius[6]) hanc particulam usitatam fuisse dicam Antonini temporibus, quippe qui scripserit 176, 5 *inante atrio*. Francogalli vetustissimae aetatis praepositione utuntur *denant* derivata a *de in ante*[7]).

§ 43.

Denique commemorandum mihi esse puto nonnunquam ut iam apud Plautum adverbium cum *esse* copula coniungi:

I 24, 17 *ea non sunt sic, ut . .*; itemque I 26, 28. 29, 4; nonnunquam adiectivum legi, ubi adverbium exspectes:

II 12, 9 *matutinus signa revise.*

II 12, 10 *agonia sume propinquus.*

---

[1]) cf. Groeberi „Grundriß“ I² p. 487. [2]) Tursellinus III p. 357.

[3]) cf. ALLGr. I p. 436. V pp. 337 sqq.

[4]) cf. C. I. L. III p. 961 XXVI, 16 (tab. plumbea traguriensis chr. s. VI.): *[ina]nte habias J[orda]nis fluvio.*

[5]) ALLGr. I p. 437.

[6]) ALLGr. V pp. 337 sqq. [7]) cf. Diehl, l. l. p. 16.

B. De praepositionibus[1]).

His satis cognitis de praepositionibus nunc agemus. Omnium nobilissimae sunt *de* et *ad*, quae et aliarum loco et ubi casum exspectes usurpantur.

§ 44.

a) *de*[2]) = *a* II 8, 12; itemque apud Soranum[3]), Ennodium[4]), Anthimum[5]).

de[2]) = *ex*[6]) I 2, 8. 3, 12. 27, 21. 35, 14. 41, 7. II 1, 17. 15, 6. 20, 1. 24, 10. 31, 14. 35, 12. CA 118; idem usus apud Ennodium[4]) et Anthimum[5]).

de[2]) = *secundum* I 15, 7. 23, 5. 40, 4. CA 949; hic illic iam inde a Plauto[7]), praecipue apud Ennodium[4]).

b) *de*[2]) = abl. instrum. I 2, 3. 10, 7. 32, 3. CA 227. 235. 514. 548. 558. 574. 654; comparare hoc loco liceat Vegetium[8]), Chironem[9]), Pelagonium (456. 457. 467. 468), Ennodium[4]), Anthimum (15. 21. 66).

de[2]) = abl. causae I 35, 2. CA 324. 605.

de[2]) = abl. inopiae I 5, 2.

de[2]) = genet. I 27,8; itemque apud Anthimum[5]) et Chironem[9]).

§ 45.

a) *ad*[2]) = *apud* I 41, 20. CA 1018.

ad[2]) = *adversus* CA 637. 858. 866.

ad[2]) = *secundum*[10]) I 2, 7; qui usus iam inde a Plauto observatur.

b) *ad* = dat.:

CA 36[3]) *Cur nos similemus ad illas?*

II 1, 11 sq. *chorus prophetarum ad illam consurgeret plebem, qui frenum inponeret illis*; i. e: *chorus prophetarum, qui frenum inponeret, illi plebi consurgeret* (cf. II 3, 3 *Resurgimus illi (sc. civitati caelesti)*).

---

1) cf. ind. Domb.

2) cf. ind. Domb. s. v. 3) cf. ind. p. 153.

4) cf. ind. p. 656. 5) cf. ind. p. 51.

6) vid. § 46 b); conferas velim Pradel in Glotta II; Meyer-Lübke in „Grundriß" I² p. 487.

7) cf. Georges⁷ s. v. 8) cf. ind. Lommatzsch. p. 317.

9) cf. ind. p. 352. 10) cf. Th. L. L. III pp. 547 sqq. s. v.

Hunc *ad* praepositionis usum[1]) in linguam vet. francog. intrasse, quin etiam adhuc vigere in sermone plebeio vicinorum nostrorum constat, conferamus e. g. ‚Aucassin et Nicolete' 2, 33. 34: *je te donrai le file a un roi u a un conte*; itemque hodie Parisiis aliisque locis audias: *le chapeau à mon père*, alia[2]); *à* < *ad*.

Quae res denuo quando vixerit Commodianus indicare videtur. Post Chr. n. hic quoque usus non ante exiens saeculum quartum apparet apud Hieronymum[3]), postquam iam Plautus (Capt. 1019) dixit *hunc ad carnificem dabo*, quod tamen non satis apte comparatur. „Silvia" nulla eiusmodi exempla habet, quamquam illis temporibus *ad* nonnunquam cum verbis dandi et dicendi struitur[4]); contra in Antonini Itinerario *ad* ter usurpatur, ubi dativus requiritur:

177, 22 *panes erogantur ad homines pauperes*
179, 7 *munera dantes ad servientes*
162, 12 (G) *Petrus dixit ad Dominum.*

Saeculo quinto (vel exeunte quarto), dico apud Commodianum et apud Prosperum Aquitanum[5]), rarus est usus *ad* praepositionis, rarus etiam apud Gregorium Tur.[6]); saepius iam usurpatur — „saepius" autem cum dico, respicio brevitatem itinerarii, quod tantum triginta paginas compleat — apud Antoninum Placentinum, saepissime inde a saeculo sexto[7]), cum dicat Thielmannus de Apollonii latinitate[8]): „Die Praeposition ad umschreibt den Dativ wie in den romanischen Sprachen", itemque insequentibus saeculis, e. g. apud Fredegarium[9]) et in Lege Rom. Vt.[10]).

---

[1]) cf. Brewer pp. 147/8. 356.

[2]) cf. Meyer-Lübke, III p. 276; id. in „Grundriß" I² p. 487; Westholm, Etude historique sur la construction du type „li filz le rei" pp. 2 sqq. et 22.

[3]) cf. Bourciez, de praep. ad casuali pp. 37 sq.

[4]) cf. Th. L. L. I pp. 557 sqq; vid. etiam Bellanger p. 84 n. 2.

[5]) cf. Fernow in Jhb. f. rom. u. engl. Lit. XI p. 275.

[6]) cf. Bonnet p. 586.

[7]) Saeculi sexti et septimi tantum exempla affert Diez, Rom. Gr. III p. 125 n.

[8]) Über die Sprache des lat. Apollonius-Romanes p. 37.

[9]) cf. Haag § 103. [10]) cf. Stünkel § 45.

§ 46.

Sed omnes fere praepositiones inter se commutantur; atque imprimis

a) *a, ab* [1]) praepositio multarum vices explet:
a=ex II 1, 9. CA 50.
a=per vel abl. instrum. I 35, 5. II 2, 14. 4, 8. 17, 8. 39, 19. CA 691.

b) Item *ex* [1]) praepositio:
ex=propter (propterea) I 3, 6. 12, 9. 37, 12.
ex=per I 19, 4.
ex=abl. instrum. I 18, 14.
ex=abl. modi [2]) CA 322.

c) Item *pro* [1]) praepositio:
pro=ante I 37, 8. II 3, 18.
pro=propter [3]) I 32, 10. II 12, 13. CA 301.
pro=causa [3]) CA 436; idem causalis usus tantum inde ab Hieronymo occurrit, praecipue apud Victorem Vitensem [4]), Corippum [3]) Gregorium Tur. [5]), addo Anthimi epistulam prf. 44. 52. 67. Novum hoc et notabile argumentum!

d) Item *per* [1]) praepositio:
per=secundum (cf. e),
per=abl. instrum. II 1, 48. 22, 5. CA 207. 995.
per=abl. modi [6]) CA 321.

e) *secundum* praepositio [7]), quae II 39, 24 et CA 258 adhibetur, aliis quoque exprimitur particulis, i. e. *per* II 1, 5 et *iuxta* CA 111. 532 praepositionibus; eandem significationem *(iuxta=secundum)* saepissime apud „Silviam“ [8]) reperimus, bis tantum apud Venantium Fortun. [9]).

---

[1]) cf. ind. Domb. s. v. [2]) cf. d).
[3]) cf. Appel, Beitr. p. 42; Brewer p. 356; Corippi ind. Petschen. p. 253.
[4]) cf. Sittl, Lok. Versch. p. 136.
[5]) cf. Bonnet p. 615.
[6]) cf. b). [7]) cf. §§ 44 a. 45 a.
[8]) cf. ind. Greyerian. p. 405 s. v. [9]) cf. ind. p. 405 s. v.

C. De coniunctionibus[1]).

§ 47.

Reliquum est, ut de coniunctionibus disseramus. Vt adverbia et praepositiones, ita coniunctiones promiscue usurpantur:

et[1]) = *etiam, quoque*[2]) I 26, 24. II 6, 6. 34, 2. CA 223. 367. 394. — I 13, 4. 32, 5. II 32, 1. 33, 2. CA 41. 297. 346. 486. 498. 510; saepissime etiam apud Vegetium militarem[3]) et apud Ennodium[4]), ter apud Corippum (II 298. III 241. IV 44).

et = μὲν I 26, 35. II 16, 3.

Similiter in graeco sermone τὲ . . δὲ interdum inter se respondere[5]) adnotat Dombartus[6]).

que = μὲν I 26, 38.

et = *iam, tum*[7]) antecedente imperativo I 35, 20. II 8, 3. 36, 7. 37, 6. (cf. CA 740).

adeo = *quoque*[8]) CA 310.

aut = *an*[9]) I 7, 4. 7. 23, 10. 29, 8. CA 80. 453. 504.

aut = *et*[9]) I 16, 8. 17, 8. 19, 2. 37, 16. II 35, 9. 38, 3; etiam apud Corippum[10]).

aut non = *neque* CA 520.

immo = *vel potius* II 17, 13 (cf. II 2, 10).

enim = *profecto, sane, certe* II 5, 4. 8, 8. 19, 4. CA 820. 980.

nam quoque saepissime adversativum sensum habet *sed* vel *autem* coniunctionum[11]) I 26, 36. 30, 12. II 5, 9. 14, 7. 17, 16. CA 256. 430. 612. 617. 668. 708. 747. 819. 958. 1018[1]); ac similem in modum his particulis utuntur „Silvia“ (*enim* = δὲ 41, 13. 80, 20; *nam* = δὲ 40, 20. passim), Soranus[12]), Dracontius (saepissime *nam* = δὲ, e. g. V 143. VIII 37. Sat. 10), Anthimus (*enim*

---

[1]) cf. ind. Domb.

[2]) cf. Schmalz, Syntax³ p. 341; Draeger, Syntax § 312; Appel, Beitr. p. 43. [3]) cf. ind. Lang. p. 193. [4]) cf. ind. p. 664.

[5]) cf. Kuehner, ausführl. Gramm. d. grch. Spr. § 520 n. 3.

[6]) ind. p. 212. [7]) cf. § 51. [8]) cf. Th. L. L. I p. 615, 4.

[9]) cf. Th. L. L. II. p. 1575, IV. [10]) cf. ind. Petschen. pp. 233 sq.

[11]) cf. Appel, Beitr. p. 44!

[12]) cf. ind. pp. 155. 162.

53. 57; *nam* 9. 14. 16. 35. 50. 58. 84; *nam non* prf. 14. 17. 18. 75. 86), Venantius Fortun.[1]) (passim *nam* sensu adversativo), Corippus[2]) (*nam* septies), Antoninus Placentinus (*enim* 165, 17. 179, 12. 189, 9. 20; *nam* 169, 19 passim); eundemque usum Bonneto teste[3]) Ennodius et Gregorius Tur. saepenumero praebent, sed iam Hermas Pastor in versione latina (saec. II_2) semel: ἐὰν δὲ καὶ γαμήσῃ = *nam si nuptias fecerit* (4. 4, 2).

seu, sive = *aut, vel* II 1, 11. 18, 8. CA 987.

sane = *vero, autem* II 31, 11. 38, 5; cf. „Silvia" 91, 32. 99, 21.

quod ne = *itaque ne* CA 183.

si = *etiamsi* I 27, 13. CA 592.

vel si = *etiamsi* II 30, 4.

quod si = *sin autem* I 25, 7. CA 581. 720.

donec circumscribitur coniunctionibus *dummodo* I 25, 18, cuius coniunctionis loco II 18, 16 *tantum ut* legitur; *quousque* (coni.) CA 241; cf. „Silvia" 69, 6.

quando = *quod* causale[4]) CA 719; cf. „Silvia" 37, 12.

quando = *cum* adversativum II 14, 7. (?). 23, 2. 35, 10.

quod = *cum* adversativum CA 518.

quod = *si* I 7, 2, qui usus occurrit etiam in Epp. Avell. (a. 367—553!) 137, 12, in Dictis abbatis Priminii[5]).

quo = *ut* finale II 1, 47. CA 44; ter (?) apud Corippum[6]).

ut non = *ne* I 36, 5.

mox pro *simulatque* I 24, 19. 29, 16. CA 979. Notabilis est usus[7]), quoniam usque ad Flori tempora *mox ut*, *mox ubi*, *quam mox* usurpatur; exceptis locis supra notatis *mox* legimus apud Cyprianum (Test. I, 4 [2. Cor. 3, 15]), Iuvencum (I 383. 398. II 816. IV 21), Ammianum

---

[1]) cf. ind. p. 408. [2]) cf. ind. Petschen. p. 248.

[3]) pp. 317 sq; vide etiam Brewer p. 357.

[4]) cf. I. V. p. 405.

[5]) cf. Loefstedt, Beitr. pp. 15 sqq.

[6]) cf. ind. Petschen. p. 254.

[7]) cf. ALLGr. IV p. 614, ubi alia afferuntur exempla duo saec. IV/V; ALLGr. VI pp. 267 sqq. et p. 592; ALLGr. XIV pp. 529 sqq., ubi Jones plurima, non omnia, collegit exempla; Hartel, Wien. Stud. II pp. 247 sqq; Appel, Beitr. pp. 44 sq; Sittl in Bursian-Müller Jhb. 68, 261 sq; Loefstedt, Beitr. pp. 24 sqq.

(XIV 10, 16), „Silviam" (73, 20. 80, 15. 97, 13), Chironem (II 31), Dracontium (VIII 529; cf. II 253), Ennodium (203, 1), Antoninum Plac. (185, 2), Corippum (I 210. 462. II 456. III 79. VII 165. VIII 226), Venantium Fortun. (II 9, 43. 16, 78. IV 10, 16. VI 5, 315. VII 1, 3. IX 2, 102. X 6, 122).

§ 48.

Vt paucis dicam: praeter ceteras orationis partes coniunctiones confunduntur; quin etiam coniunctionem (*quod*, *quia*, *quoniam*, *ut*) saepenumero scriptam invenimus, ubi aliam exspectes constructionem, dico accusativum cum infinitivo.

1. *quod* pro acc. c. inf.[1]):

   a) cum indicativo I 27, 21. CA 56. 142. 195 sq. 255. 543 sq. (cf. „Silvia" 49, 13. Antoninus 178, 5. 6. Acta Archelai passim[2]);

   b) cum coniunctivo II 29, 5. CA 239 sq. 397 sq. 409. 434. (cf. „Silvia" 100, 10. 11; *eo quod*: 48, 27. 28. 49, 12 sqq. 58, 8 sqq. 63, 30. 31. 64, 13 sqq; — Antoninus 169, 19; Acta Archelai passim[2]).

2. *quia* pro acc. c. inf.[3]) CA 551 sq.

   cf. apud „Silviam": 40, 28. 54, 20. (c. ind.); 55, 7. 8. 62, 16. 66, 31. 71, 12. 92, 7. 8. (c. coni.); — apud Antoninum: 159, 14. 162, 18. 186, 9. 10. (c. ind.); 174, 19. 20. 181, 16. 17. 188, 10. (c. coni.). — passim in Actis Archelai[4]).

3. *quoniam* pro acc. c. inf.[5]).

   a) cum indicativo I 17, 10. 13. 24, 16. 41, 3. II 14, 8. 31, 4. CA 31. (cf. „Silvia": 48, 21. 22. 60, 20. 21. 98, 4. 5; Acta Archelai passim[6]); nunquam apud Antoninum).

   b) cum coniunctivo II 34, 4. CA 938. (cf. „Silvia": 54, 25. 67, 8. 9; semel in Actis Archelai 55, 3. nunquam apud Antoninum).

Additamentum: *quomodo* particula (>*comme* frcg.), quae

---

[1]) cf. Mayen pp. 4—30. (25). 55; Rydberg, Zur Gesch. des frz. ə pp. 357 sqq.

[2]) cf. ind. p. 129 s. v. *quod.*

[3]) cf. Mayen pp. 30—36. 55; Rydberg l. c.

[4]) cf. ind. p. 129 s. v. *quia.*

[5]) cf. Mayen pp. 36—40. (39). 55.

[6]) cf. ind. pp. 129 sq. s. v. *quoniam.*

perraro in litterarum monumentis romanis apparet[1]), non exstat in Commodiani carminibus.

4. *ut* c. coni. = acc. c. inf.[2]) I 21, 5.

§ 49.

Ex particulis pleonastice coacervatis has coniunctiones proferam:

et ecce I 24, 5; itemque apud „Silviam" 56, 24. 63, 1; (quamquam saepius *ecce et* praebet).

et . . que[3]) CA 324. 623.

et . . quoque CA 41.

et tamen (= ceterum) CA 510[4])

nec minus et II 1, 31.

nec non et II 18, 6. 19, 13. 24, 14; legitur iam in Verg. Aen. I 707; saepius postea apud „Silviam" 41, 7. 54, 12. 70, 27. 73, 15; semel in Actis Archelai 4, 15.

sed immo II 2, 10 (cf. 17, 13).

§ 50.

Denique pauca de correlativis addam:

que — et = et — et II 8, 6 sq. CA 740. 910. 996.

vel — vel = et — et CA 30.

sic et = et — et (altos sic et humiles) CA 29.

nec altero loco omissum: *exire . . nec plangere fas est* II 32, 2.

§ 51.

Sed ut particulas cumulari paulo ante vidimus, ita saepissime coniunctionem omitti observamus; habemus igitur asyndeta

et verborum[5]):

II 4, 10. 39, 3. CA 26. 409. 586. 1000. — I 7, 14. 19, 3. 26, 11. II 3, 12 sq. 16. 10, 9. 15, 12. CA 91. 458. 733. 883. — I 7, 12. 28, 3. CA 479.

et sententiarum[5]):

I 11, 20. 19, 9. 26, 12. 28, 11. 33, 8. II 2, 7. 7, 15 sqq. 9, 12. 12, 6 sq. 17, 17. 19, 17 sq. 32, 8. 39, 2. CA 172. 212. 416. 746. 881. 1009.

---

[1]) cf. Mayen pp. 40. 41. 43. [2]) cf. Mayen pp. 57—62. (60).
[3]) cf. Loefstedt, Studien pp. 28 sq. [4]) cf. adnot. Domb. p. 148.
[5]) cf. ind. Domb. p. 199.

Quibus expositis rebus potius circa vergens saeculum quartum vel ineunte quinto quam tertio vixisse Commodianum non nullis et artis metricae et rerum grammaticarum proprietatibus docuisse mihi videor; permultas, fortasse plurimas eius formas et locutiones et constructiones nisi ex posteriorum usu explicare non possumus, ac si non certam eius aetatem statuere potui, tamen propius ad veram accessisse nos spero. Iam cum Roenschio, qui optume de Commodiano nostro meritus est, dicam: „Videant melius meliores!“

Vita.

Natus sum Herbertus Scheifler in vico Silesiae inferioris, qui Ossig nominatur, Id. Mart. a. MDCCCLXXXIV patre Alberto, matre Elisia e gente Scholz, quos adhuc superstites debita cum pietate colo. Fidei addictus sum evangelicae.

Litterarum elementis a patre per quinque annos in ludo populari imbutus puer undecim annorum Gymnasium Augustum Gorlicense frequentare coepi, quod sub auspiciis *Eitneri* et *Stutzeri* directorum humanissimorum florebat. Vicesimo natali die maturitatis testimonium nactus statim ad almam matrem Oenipontinam me contuli, ubi per unum semestre exercitationes proseminarii philologi, quibus *Stolzius* et *Kalinka* praeerant, frequentavi. Deinde in patriam remigravi scholas auditurus philologas. Docuerunt me in universitate Vratislaviensi per octo semestria professores spectatissimi et doctissimi

> *Appel*, *Baumgartner*, *Bohn*, *Cichorius*, *Dahn*, *Ebbinghaus*, *Foerster*, *Freudenthal* †, *de Hase*, *Hönigswald*, *Hoffmann*, *Jacoby*, *Kühnemann*, *Liebich*, *Löhr*, *Muther*, *Norden*, *Pillet* sen., *Pillet* iun., *Semrau*, *Skutsch*, *Sombart*, *Stern*, *Watkin*, *Wendland*, *Zacher* †.

Per tria semestria interfui proseminarii reg. philol. exercitationibus, quas *Foerster*, *Norden*, *Skutsch* moderabantur, atque eximia *Foersteri*, *Skutschii*, *Wendlandii* benignitate factum est, ut in seminarium reg. philol. reciperer, cuius sodalis fui ordinarius per bis senos menses. Per quattuor semestria in seminario romanensi exercitationes frequentavi *Appelii*, cuius eximia benevolentia per ter senos menses seniorem me esse voluit. Praeterea ad exercitationes psychologicas me admisit *Stern*, ad philosophicas *Kühnemann*.

Iamque his praeceptoribus omnibus, imprimis vero *Francisco Skutschio*, qui opera et auxilio in perficienda hac dissertatione me adiuvare non desiit, et *Carolo Appelio* gratiam habeo quam maximam semperque habebo.